



Ehrenthal, Quaestiones Frontonianae



1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

8!

Herrn Prof. Dr. E. Rohde hochachtungsvoll d. Verf.
Königsberg i. Pr. Königstr. 33 III

QUAESTIONES FRONTONIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE II MENS. AUG. a. MDCCCLXXXI HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS EHRENTHAL,

TREVIR.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

LUDOVICUS BAUCK, DR. PHIL.

ALFREDUS DOEHRING, STUD. PHIL.

REGIMONTII PRUSSORUM.

MDCCCLXXXI.

PROSTAT IN OFFICINA HARTUNGIANA.

HENRICO JORDAN

PROFESSORI REGIMONTANO ILLUSTRISSIMO

GUILIELMO RISCH

AVUNCULO OPTIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I.

Emendationes Frontonianae.

'Etiam lamminae interdum argentiolae cloacis inveniuntur; eane re cloacas purgandas redimemus?' His Frontonis verbis[1]) vereor ne multi, ubi in hujus ipsius Frontonis ejusque discipulorum amicorumque epistulis operam me collocasse viderint, naso suspensuri sint, quod tam ineptam tamque pessimae notae materiem potissimum mihi elegerim. Omnes enim, qui vel breviculi temporis studium epistulis Frontonianis impertiverunt, praeter unum Angelum Majum nimio, sed qui ignosci possit inventoris erga inventa amore perductum et quendam imbecilli judicii virum doctum[2]), qui in libello de Frontonis reliquiis scripto futtilissimis rationibus evincere studet, 'Frontonem quidem non plane claritudinem, qua prius floruerit, multo tamen minus oblivionem, qua vulgo sordeat, mereri et omnino fuisse virum optimum dicendi longe non imperitum' — omnes igitur praeter hos ambos in eo consentiunt, nihil his fragmentis ineptius cogitari posse. Tamen si eam tantum litte-

1) Ad M. Anton. De orationib. p. 157 v. 1 sq. Naber. Semper novissimam editionem a Nabero curatam citabimus.

2) Philibert-Soupé De Frontonis reliquiis Ambiani 1853 p. 125.

rarum partem tractabimus, quae vel amoenitatis pulcritudinisque illecebras praebeat vel sententiarum altitudine legentium animos efferat vel rerum traditarum copia nostram scientiam amplificet, vereor ne magni sane tractus litterarum et Graecarum et Latinarum inculti jacituri sint. Praeterea non Frontonem propter Frontonem — nam tum quidem opera lusa esset — legimus, pertractamus, emendare studemus, sed propter morum Romanorum et linguae Latinae historiam, quam ex hoc fonte quamvis foedo tamen nonnihil bonae frugis percipere posse nemo negabit, nisi qui numquam ex eo hauserit.

His de causis ex quo primum Angelus Majus e palimpsesto Ambrosiano partem earum epistularum, quae nunc in novissima editione a Nabero a. MDCCCLXVII° Lips. ap. Teubn. curata exstant, publici juris fecit, viri docti haud infrequentes ad Frontonis scripta tractanda et emendanda accesserunt. Quos omnes enumerare et longum et superfluum est, cum id summa cum diligentia jam factum sit a Rudolfo Klussmann in dissertatione Gottingensi anni MDCCCLXXI°, cui inscripsit 'Emendationis Frontonianae', quaeque repetita est in altero libello aucto et amplificato, tribus annis post emisso: 'Emendationes Frontonianae scr. R. Kl. Inest epistula critica Guilielmi Studemund ad R. Kl. Berolini. Calvary MDCCCLXIV'.[3] Plus centum locis Klussmannus conjectura medelam afferre conatus est. Quo in negotio non semper pari eventu versatus est. Quamvis enim nonnulla sagaciter invenisse et semper non sine doctrina egisse judicandus sit, tamen saepe, ubi difficiliora tentavit, aut prorsus falsum aut parum probabile invenit. Praeterea quamvis in diligentia operi adhibita summa Klussmanni laus contineatur, tamen non ubique neglegentiae culpam vitare potuit.[4]

---

3) Semper alterum libellum citabimus.

4) cf. Kl. l. c. p. 42 'ceteris locis omnibus «vinea» scriptum est'.

Optimae frugis plena est Studemundi epistula critica Klussmanni libello subjuncta. Is enim, cum partem Mediolanensis palimpsesti post Majum et eum, cujus lectione editio Naberiana nititur, doctum Batavum, du Rieu, iterum contulisset, multis locis, quid in codice exstaret, summa fide testatus est, de codicis condicione nonnulla utilissima sane adnotavit, ipse semper fere felicissime conjecit.

Klussmanni dissertationem recensuere Eussnerus[5]), qui et ipse nonnullas conjecturas adjecit, Schenkelius[6]), G. Beckerus.[7])

Ipse R. Klussmann ea, quae ab anno MDCCCLXXI° usque ad ann. MDCCCLXXIV^um^ a viris doctis ad Frontonis emendationem allata sunt, enumeravit[8]) ipsius conjecturis adjectis, Fl. Jahrb. 1874 (p. 636—638). Superest ut eos viros doctos enumerem, qui post annum MDCCCLXXI^um^, quo anno prior Kl. i dissertatio prodiit, in Frontonianis reliquiis operam constituerunt. De singulis locis dixerunt: M. Haupt[9]), qui jam prius magnam copiam conjecturarum ingeniosissimarum effuderat[10]), Fr. Bücheler[11]), Aem. Baehrens[12]), C. F. W. Müller[13]), O. Ribbeck[14]), Euss-

---

Sed cf. Front. p. 223, 8. Nab. p. 57 versus finem ignoravisse videtur, conjecturam '[Capito]lini' jam a Majo in editione Romana altera prolatam esse. (In eundem errorem incidit Herwerden, qui idem conjecit non commemorato Majo. cf. Mnemosyne N. S. I (1873) p. 292.) Sed haec levia sunt.

5) Liter. Centralbl. 1871 no. 43.

6) Zsch. f. d. oest. Gymnas. XXVI p. 30—34.

7) Jenaer Lit.-Ztg. 1874 p. 631.

8) Quae h. l. repeto.

9) Opusc. III p. 316, 563, 616, 619.

10) Opusc. II 346—357.

11) Fleckeis. Jahrb. 1872 p. 565, et ap. Ribbeck Frg. com.^{2} p. 271.

12) Fl. Jahrb. 1872 p. 632 sq.

13) Ibid. 1873 p. 350.

14) Frgm. trag. Roman.^{2} praef. p. LXX et Frgm. com. Rom.^{2} p. 117.

ner[15]), Cornelissen[16]), Naber[17]), Herwerden[18]), Cobet[19]), M. Hertz[20]), R. Hercher[21]), J. Vahlen[22]), J. Klein[23]), Greef[24]), L. Reinhardt[25]). Frontonis loco nisus H. Jordan de Q. Lutatii Catuli libro 'de consulatu suo' felicissimo eventu egit.[26]) De Frontonianarum epistularum chronologia docte et sagaciter, ut solet, scripsit Th. Mommsen[27]). De Frontonis syntaxi mediocriter nuper disseruit Ad. Ebert[28]).

---

15) Fleck. Jahrb. 1873 p. 522 sq. sq. et ibid. 1875 p. 766 sq.

16) Mnemos. N. S. I (1873) p. 91—96.

17) Mnemos. II (1874) p. 225—227, duorum locorum Frontonianorum accuratiorem lectionem a Kiehlio, amico, factam attulit vir doctus.

18) Mnemos. N. S. I (1873) p. 292 sq.

19) Mnemos. 1873 p. 305 sq.

20) Rh. Mus. 1874 p. 367 eandem et sane optimam conjecturam 'Plautinotato' pro tradito 'Plautino trato' fecit, quam Studemund l. c. p. XXXII. cf. praeterea Vindic. Gell alterae p. 23 adn. 52 et 53 (hunc librum mihi inspicere non licuit) et Progr. Vratislav. 1873 de ludo talario.

21) Hermes 1875 p. 225.

22) Hermes 1876 p. 458.

23) Rh. Mus. 1876 p. 639.

24) Philolog. 1876 p. 682.

25) De retractat. fabul. Plantinis, diss inaug. in 3a thesi. Addendi sunt K. Dilthey Annal. dell' inst. arch. 1867 p. 136 adn. 2). et O. Seyffert Philol. 1870 p. 398 sq. Praeterea R. Klussmann in progr. gymnasii Gerensis 'Tulliana' 1877 unam conjecturam protulit (cf. Indicem philolog. 1877 p. 521.) Hunc libellum non inspexi.

26) Hermes 1872 p. 68—81.

27) Hermes 1874 p. 198—216.

28) De M. Cornelii Frontonis syntaxi. diss. inaug. Erlang. 1880. p. 49. Haudquaquam totam copiam rerum syntacticarum memorabilium exhausit. Praeterea vituperandum est, quod virorum doctorum conjecturas post Naberum factas paene omnes ignorasse videtur. Ita factum est, ut p. 47 ad Front. p. 59 v. 1 sq. (Nab.) idem, quod jam ante eum tres viri docti, Schaefer, Eussner, Cornelissen, conjiceret. Et omnino saepius ei incuria neglegentiaque exprobranda est. Exemplum afferam: Front. p. 186, 14—16 haec leguntur: 'Fac, mi Naucelli, valetudinis tuae curam agas, ut fortis ad nos venias. Di praestabunt, ut me quoque forti culuminvenias.' Quid Ebertus? conjecit pro 'culuminvenias':

Vides haud exiguum sane numerum virorum doctorum, quibus dolendum est, quod novissimus editor tam multa haudquaquam hucusque exhausta reliquit. Facile, sed supervacaneum est, permultis, quae jure suo viri docti in ejus editione vituperaverunt, nova addere.[29]) Sane ejus culpa accidit, ut persaepe incertis fundamentis Frontonis emendatio niteretur. Tamen injuria Schenkelius l. c. satius esse contendit, si omnino, dum meliore editione uti possimus, omni emendatione abstineamus. Respondere placet Studemundi verbis (l. c. p. XXIX): 'Nec tamen in hoc labore (sc. codicis iterata lectione) acquiescendum est; nam neque sartus et tectus, ut ajunt, est palimpsestus et multi loci, cum in codice graviter corrupti exstent, conjectura etiam nunc indigent . . . . Proscripturiant ejusmodi studia, qui inertissimae segnitiae vel fastidio cuidam delicatissimo cedentes id experiri nolunt, quod se certo adsequi posse diffidant. Sane ubi una divinatione omnis salutis spes continetur, paucae conjecturae omnibus probabuntur; attamen multorum viribus conjunctis hic quoque labor paulatim minuetur.'

---

incolumis venias. Sed si Maji Niebuhriique editiones inspexisset, invenisset rectam lectionem 'forticulum invenias', ex qua apud Nab. mero typothetae errore illud monstrum 'culuminvenias' ab Eberto tam fortiter impugnatum factum est. O mirum philologum!

29) Haec tamen addam: De nep. amisso II p. 232 adn. 4) Naber Buttmanni verba laudans, qui nonnisi filias natas esse Frontoni adnotavit, se non meminisse fatetur, unde Buttm. id resciverit. Sed quinquaginta paginis supra 'Ad Amic.' I, 5 = p. 177 disertis verbis ipse Fronto testatur: 'Cuperemus . ., eo nos fato praeditos, ut, si mihi liberi etiam virilis sexus nati fuissent . . ., sub te . . . stipendia mererent.' Etiam hoc sane incredibilis neglegentiae exemplum est, quod praef. p. XXIV v. 20 et p. XXV v. 11 persuadere sibi potuit, epistulam Ad M. Caes. I, 3 scriptam fuisse post ep. ad M. Caes. III, 17; cum luce clarius sit, verba Ad M. Caes. III, 17 (p. 55) 'Tanti est . . . te nullo meo merito, sed solo tuo erga me amore laudare, de quo tu plurima et elegantissima ad me proxime scripsisti', haec verba spectare ad Frontonis epistulam Ad M. Caes. I, 3 (p. 5 sq.), ubi de ea ipsa re fusius et, ut solet, insipide verba facit.

Praeterea quod melioris editionis spem attinet, Frontonis[30]) verbis a Studemundo epistulae suae criticae praescriptis utor: 'Potior est certus praesens fructus, quam futuri spes incerta.' Nonnullis autem locis spero me quamvis incerta Naberianae editionis fide nisum tamen veram et integram Frontonis sententiam restituisse. Sed de hac re lectores, non ego, viderint.

Sed priusquam aggrediar ad rem, unum moneam, praeter malam condicionem editionum eis legibus, quas nostrae aetatis philologos sequi oportet, haudquaquam satisfacientium, hac potissimum re emendationem difficilem reddi, quod pluribus locis Fronto hanc scribendi regulam ab ipso studiosissime servatam discipulis praescribit, ut talia verba requirant, 'quibus subtractis aut nullum aut non ita ad significandum accommodatum verbum reperiatur'.[31]) Ita factum est, ut non parvus numerus esset eorum locorum, de quibus postquam diu multumque deliberavi nec tamen quidquam, quod bona conscientia proferre possem, inveni, tandem desperandum mihi visum est. Ubi eos, qui post me Frontonem emendare studebunt, feliciores fore spero.

Ad M. Caes. I, 3 = p. 8 v. 14 sq. 'Tum ratio consiliorum prudentia appellatur, vatum impetus divinatio nuncupatur. Nec quisquam prudentissimae feminae consiliis potius accederet, quam vaticinationibus Sibyllae.'] His exemplis Fronto sententiam suam, secundum quam fortunae vis auctoritasque major est quam rationis, probare studet. Atque ut me ipsum ita lectorem quoque offendere puto in voce quae est 'accederet'. Aegre enim fertur zeugma — vaticinationibus nemo accedere potest — neque aliud ejus usus exemplum apud Frontonem legitur. Sed optimus sensus evadit, si una littera inserta scribimus: Nec quisquam prudentissimae feminae consiliis potius accrederet,

30) Ad Ant. Imp. I, 5 = p. 102 Nab.
31) cf. p. 63 v. 17 sq. et p. 12 v. 8.

quam vaticinationibus Sibyllae. Videtur verbum antiquioris, post cotidiani sermonis proprium fuisse. cf. Plaut. Asin. III 3, 37 et V 2, 4. Lucr. III 870. Nep. Dat. 3.; Cic. ad Attic. VI 2. Hor. epp. I 15, 25.

Ad M. Caes. I 4 = p. 9 v. 17. M. Aurelius somnum accusaturus argumentum sumit de Homeri Odyssea: 'Non enim ille (sc. Ulixes) profecto *εἰκοστῷ* demum *ἔτει* venisset *εἰς πατρίδα γαῖαν*, neque in isto lacu tamdiu oberrasset, neque alia omnia quae *Ὀδυσσείαν* faciunt perpessus esset, nisi *γλυκὺς ὕπνος ἐπήλυθε κεκμηῶτα*. Quamquam *τῇ δεκάτῃ* [*δ' ἤδη*] *ἀνεφαίνετο πατρὶς ἄρουρα*. Sed quid somnus fecit? e. q. s.]. 'Quamquam' apte cum praecedentibus congrueret, si non ad proximum verbum '*ἐπήλυθε*', sed ad praecedentia 'oberrasset' et 'perpessus esset' referri posset; quod cum grammaticae rationes non admittant, jam, si ad '*ἐπήλυθε*' spectare putamus, evadit sensus non dicam plane ineptus, sed ab Homero alienissimus. Tum enim miratur M. Aurelius, Ulixem somno captum esse, quamvis tam prope a patria abesset, ut eum prae laetitia dormire non posse exspectares. Qua in re quantopere non intellexerit Homeri sententiam[32]) vix opus est ut moneamus. Sed fieri potuit, ut id non sentiret M. Caesar, homo mirum in modum *ὀψιμαθής* et ea ipsa aetate, qua adulescentes ingenii efflorentis vi freti potius in contrariam partem peccare solent, admodum puerili et immatura ingenii facultate. Itaque mutare verbum 'quamquam' non auderem, nisi Studem. l. c. p. VIII post 'nisi' et ante '*γλυκὺς*' in fine versus incertas duarum litterarum umbras apparere affirmaret, quae cum ad tu (vel tū) magis quam ad eu (vel eū) convenire visae essent, 'nisi tum *γλυκὺς ὕπνος*' etc. scribendum esse arbitratus est. Iam hoc si recte fecit, particula 'tum' non habet quo referatur, nisi scripseris: 'nisi tum *γλ. ὕ. ἐπ. κεκμ.*

---

32) Od. *κ* 31 *ἔνθ' ἐμὲ μὲν γλ. ὕπν. ἐπ. κεκμ. Αἰεὶ γὰρ πόδα νηὸς ἐνώμων, οὐδέ τῳ ἄλλῳ Δῶχ' ἑτάρων, ἵνα θᾶσσον ἱκοίμεθα πατρίδα γαῖαν.*

quom jam τῇ δεκάτῃ [δ' ἤδη] ἀνεφαίνετο πατρὶς ἄρουρα.[33]) Quod per 'jam' et 'ἤδη' idem exprimitur, in hoc nulla offensio esse potest. Ut enim natura citati, quod dicimus, fert, orationis continuae et verborum laudatorum structura nonnumquam non prorsus inter se congruunt. E. g. verba Homeri Od α 57 αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι Ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται ita a M. Caesare p. 10 v. 26 laudantur: Somnus autem Ulixem ne patriam quidem suam diu [absentem][34]) agnoscere sivit, cujus καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι Ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται. Similiter Fronto p. 95 v. 24 sq. 'ego cum in orationibus vestris vestigia nostrae sectae animadvertero, γέγηθε δε φρένα Λητώ. Et si recte Klussmann l. c. p. 78 in verbis Princ. hist. = p. 209 v. 9 sq. 'namque talium facinorum causa facti latet, factum spectatur' hexametri partem agnovit talem:

Facti causa latet, factum spectatur,

etiam hic locus addi potest, quippe quo alteruter genetivus supervacaneus sit; id quod ea tantum condicione excusari potest, ut verba 'causa — spectatur' non ipsius Frontonis esse sed ex aliquo poeta afferri arbitremur. Cf. infra p. 40 et de simili quodam exemplo Frontoniano adn. 91.

Ad M. Caes. I, 7 = p. 19 v. 18 sq. Fronto immodico verborum tumore gloriatur, quod M. Caesar patri Tito Antonino partem orationis a Frontone scriptae legerit. Hac re se omnibus quicumque ante se similem gloriam adepti essent, praestare. Pergit: 'nec ulla umquam scaena tan-

---

33) Ita Naberus. Sed Majus in omnibus tribus editionibus: τῇ δ' ἤδη δεκάτῃ ἀνεφαίνετο πατρὶς ἄρουρα, non monito lectore de lacuna et duorum verborum δεκάτῃ et δ' ἤδη ordine immutato.

34) Cod. 'ne patriam quidem diu agnasceret sivit', Heindorfius: 'interdiu agnoscere sivit'. Jacobsius: 'ne patriam quaesitam diu agnosceret'. Utrumque non satisfacit. Fortasse recte Jacobsii conjectura usi scribemus: 'ne patriam quidem [quae]sitam diu agnoscere sivit'. Sed praestare videtur quod in textu dedi propter Hom. Od. V 188: εἴδων ἐν γαίῃ πατρωίῃ, οὐδέ μιν ἔγνω ἤδη δὴν ἀπεών.

tum habuit dignitatis, M. Caesar actor, Titus imperator'.]. Pro certissimo Studem. apud Klussm. l. c. p. 26 adn. p. contra Naberum, qui 'inspectator' valde perspicue legi contendit, affirmat, exstare in codice id quod jam Majus legerat, 'imperator'. Cum appareat, desiderari verbum, quod Titi nomini appositum Caesaris attributo 'actor' respondeat, Majus conjecit 'spectator' vel 'inspectator', Buttmann ed. Berol. p. 45 adn. 3. post 'imperator' excidisse putavit 'spectator'. Recte Klussmann p. 26 sq. vocem 'inspectator' ferri posse negans, minus recte solum 'spectator' proposuit, quod jam a Majo conjectum esse eum commemorare oportuit.[35]) Unice vera est anonymi in Phil. ind. 1868 p. 60 conjectura: ‚imp. spectator', a Klussmanno inanibus argumentis niso spreta.[36]) Sed nondum omnia h. l. recte se habent. Mirum enim est neque mea quidem opinione tolerandum, quod accusativo 'tantum' respondent nominativi 'M. Caesar actor, Titus imp. spectator', particulae autem 'tantum' omnino nihil respondet.[37]) Similia sunt verba p. 137, 4 sq. 'vel minimis... signis significari arbitror ea quae amplissima inter homines et exoptatissima sunt, amor honorque'. Sed hoc nonnisi attractionis cujusdam memorabilis exemplum est, cum enuntiatione relativa proxime antecedente factum sit, ut nominativus pro accusativo poneretur. Lachmann Comm. Lucr. p. 176 ad Lucr. v. III 614 non pauca exempla e Lucretio, Varrone, Vitruvio, Frontino attulit, ubi nominativus in comparatione casui obliquo respondet. Sed ea omnia nihil faciunt ad nostrum locum, cum in eis op-

---

35) cf. supra p. ~~6~~ 2 adn. 4.

36) Dicit enim p. 27, imperatoris nomine Frontonem ita uti solere, ut aut ipsos viros adloquatur (p. 164, 5. 165, 5 et 17. 169, 2. 171, 7) aut, ubi de imperatoribus verba faciat, si vivant, dominorum nomen honorificum addat (p. 186, 8), si mortui sint, non addat (p. 210, 1). Sed justo audacius est, ex uno exemplo totum Frontonis morem derivare, qui praeterea ne decem quidem exemplis ita firmari posset, ut numquam aliter eum loqui potuisse, jure contenderetur.

37) Ebert l. c. p. 42 memorabile asyndeton explicativum appellat.

timè ad eam rem, quacum altera res comparatur, subaudiatur aut ejusdem verbi, quod de altera usurpatum est, aut copulae 'esse' aliqua forma.[38]) Adde quod omnes loci a Lachmanno collecti non carent particula comparativa 'ut' vel 'quantum' vel 'quam' etc. Itaque nostro loco post 'dignitatis' et ante 'M. Caesar' totum versum excidisse puto et tale quid a Frontone scriptum esse conjicio: 'Nec ulla umquam scena tantum habuit dignitatis, [quantum mihi tribuere] M. Caesar actor, Titus imp. spectator'. Ea re meam sententiam commendare possum, quod a verbis ['M. Caesar' novum versiculum in codice incipere verisimile est.[39])

Ad M. Caes. I, 8 = p. 21 v. 15. 'Ubique igitur populus dominatur et praepollet. Igitur ut populo gratum erit, ita facies atque dices.]. Recte Schopen conjecit: 'Ubique.. praepollet, ibi, ut.. gratum erit, facies'... Sed propius ad codicis scripturam accedemus scribendo 'ibi tu ut'.

Ad M. Caes. II 3 = p. 28, 18. 'Ne valeam, nisi aliqua die virga in manus tibi tradenda erat, diadema circumponendum, tribunal ponendum: tum praeco omnis nos citaret sq.]. De rebus futuris dicit M. Caesar, non de praeteritis. Itaque corr. 'tradenda erit'.

Ad M. Caes. II 6 = p. 31 v. 11. M. Caesar de encomio-

---

38) cf. e. g. Varro r. r. II 4, 2 'dixit celeriter se illos, ut scrofa porcos (sc. disjicit) disjecturum'. Lucr. III 130 'quoniam est animi natura reperta Atque animae quasi pars hominis (sc. sit).

39) Licet ipse computes: Ita secundum Naberum et Studem. l. c. p. VI adn. 2) p. IV adn. 2) et p. VIII adn. 1) prima manus scripsit: 'M. Caesar actor Titus imperator quid amplius contingere potes nisi unum quod in caelo fieri poete ferunt quo Jove audiente Musae cantant . . enim vero quib. ego gaudium meum verbis exprimere possim, quod orationem istam meam tua manu descriptam misisti mihi . . verum est'. Sunt 223 singulae litterae. Naber praef. p. XI in singulis versibus litterarum numerum raro infra quindecim vel supra viginti esse testatur. Jam si eorum versuum, quos Studem. accuratius descripsit, litterarum numerum comparas, medius numerus inter septemdecim et duodeviginti litteras situs est, sed priori numero propior est. Itaque si hoc numero dividimus numerum 223, evadit: 223 = (17. 13) + 2.

graphis Graecis, quos audivit: 'Igitur paene me opicum animantem ad graecam scripturam perpulerunt homines, ut Caecilius ait, incolumi inscientia]. 'animantem' ineptum esse in promptu est. Cramer ed. Berol. p. 294 'animarunt et ad', Eussner l. c. 'animantes' proposuerunt. Sed magis placet 'animatum', cf. Lachm. comm. Lucr. p. 78 et indicem Latinitatis Naberi editioni additum s. v. 'desiderantissime', quod saepius pro 'desideratissime' positum est.

Ad M. Caes. III 2 = p. 40 v. 19. Magistro Herodem Atticum incusaturo M. Caesar suadet, ut iracundiae suae temperet et quam lenissime tractet hominem sibi amicissimum: 'Neque ullum video, qui te in hac re monere audeat: nam qui minus amici sunt, malunt te inspectare inconstantius agentem; qui autem magis amici sunt, metuunt, ne adversario tuo amiciores esse videantur, si te ab accusatione ejus propria tua abducant: tum autem, si quod tu in eam rem dictum elegantius meditatus es, per silentium dictionem auferre tibi non sustinent. Adeo sive tu me temerarium consultorem sive audacem puerulum sive adversario tuo benevolentiorem esse existimabis, non propterea, quod rectius esse arbitrabor, pedetemptius tibi consulam]. H. l. vim particulae adeo ego equidem non perspicio; numquam enim vim conclusivam, numquam adversativam habet;[40]) sed alterutrum h. l. significet necesse est; tertium non datur. Itaque conj. Ideo, saepe cum 'adeo' commutatum cf. Spalding Quintil. XII 11, 16. Bene in loci sententiam etiam quadraret: At ego.

---

40) cf. Hand Tursell. I p. 155 et Reisig. Haase § 274. Miror Kretzschmannum, qui 'de latinitate Apuleji' p 90 significationem conclusivam eam particulam habere in his Apuleji verbis affirmat: Flor. III 79: Vox in vagina silentii condita diutius torpore hebetatur. Tragoedi adeo ni quotidie proclamant, claritudo arteriis obsolescit'. Sed apparet, h. l. 'adeo' habere vim quandam comparativam haud raram, quam nos vocabula 'sogar' exprimimus cf. Hand Turs, I. p. 149. Haec scriptoris sententia est: Ipsi tragoedi, qui tam saepe voce intento utuntur, tamen claram eam conservare nequeunt, nisi quotidie exercent.

Ibidem p. 43 v. 3. Ita pergit: 'Sed quid dixi consulam? qui id a te postulo et magnopere postulo et me, si impetro, obligari tibi repromitto. Et dices: quid? si lacessitus fuero, non eum simili dicto remunerabo? At ex eo tibi majorem laudem quaeres, si nec lacessitus quicquam responderis. Verum si prior fecerit, respondenti tibi utcunque poterit ignosci: ut autem non inciperet, postulavi ab eo et impetrasse me credo.].

Verba 'verum — fecerit' nescio quomodo defendi possint. Nam si quis ita interpretetur, ut 'fecerit' ad praecedens participium 'lacessitus' spectet et omissum sit 'id', intellëgendumque sit: 'Verum, si prior te lacessiverit, ignosci tibi poterit', hoc valde durum artificiosumque putaverim, cum consentaneum sit, 'fecerit' non ad longius remotum sed ad proximum verbum, non ad participium, sed ad verbum finitum referri. Accedit, quod aegre mea quidem sententia particula 'verum' non cum proxime sequentibus — nam id quidem ineptum esset, cum 'lacessitus' et 'prior lacessitus' haudquaquam opponi possint — sed cum verbo finito 'poterit' conjungitur.

Itaque emendatione opus esse videtur; quae facillima est. Scr. enim: Verbum si prior fecerit e. q. s. Quid enim h. l. dici debuerit verbis sequentibus 'ut autem non inciperet' edocemur.[41]) 'Verbum' h. l. praegnanti sensu primo loco positum est, ut significet: 'Si vel unum verbum prior fecerit'. Hac re asyndeton excusatur, cujus praeterea multa in his epistulis exempla leguntur.[42]) Similiter Noster loquitur p. 42 v. 7 'tum me di omnes male adflixint, si ego verbo laedere ausus fuissem quemquam amicum tibi' et p. 136 v. 5 'neque tamen triduo amplius vel quatriduo id

---

41) E. Mueller 'Marc Aurel in s. Briefen an Fronto'. Festschr. z. 50jähr. Stiftungsfeier d. evang. Gymnas. zu Ratibor 1869, p. 5 ita vertit verba: 'wenn er aber gegen dich vorgeht'.

42) E multis unum afferam p. 159. 6 'Impediti voce dicuntur, qui balbuttiunt, et contrarium est soluta et expedita voce, multo melius apparuit enodata. De asyndetis cf. praeterea Ebert l. c. p. 42.

a te optinere potuisti, ut mihi verbo salutem responderes'. p. 79 v. 1 pro eo quod unice rectum est, 'verum' cod. pr. man. 'verbum' exhibet. Contrario p. 65, 14 in linea falso codex 'veri' habet, sed recte superscriptum est b. (UERI). Porro p. 63 v. 17 apud Naberum invenitur: 'Insperatum autem atque inopinatum vero appello, quod praeter spem atque opinionem audientium aut legentium ponitur'. H. l. Naberus mira socordia non adnotavit Maji conjecturam unice veram 'inopinatum verbum', qua re deceptus Studemund l. c. p. XXXII, qui h. l. solam Naberi editionem inspexisse videtur, eadem conjectura primus sanare sibi visus est locum jamdudum persanatum.

Ad M. Caes. III 4 = p. 43 v. 6 sq. Fronto postquam in omnibus rebus Caesaris dicto se audientem fore affirmavit hancce epistulam addit: 'Clausa jam et obsignata epistula priore venit mihi in mentem fore uti ei[43]) qui causam hanc agent — acturi autem complures videntur — dicant aliquid in Herodem inclementius; cui rei quemadmodum me unum putas, prospice]. Quam ineptum sit 'me unum', caeci videbunt. Conj. 'quemadmodum', verum putas.' cf. eodem significatu verum usurpatum p. 42 v. 1 'protelari conviciis talem a me virum non est verum'. Causa corruptelae ultima verbi 'quemadmodum' littera vitiose iterata et litterarum u et e ordo falso immutatus fuisse videtur.

Ad M. Caes. III = p. 45 v. 10. 'Imaginem quam te quaerere ais meque tibi socium ad quaerendum et optionem sumis[44]), num moleste feres, si in tuo atque in tui patris sinu id futurum[45]) quaeram?]. Imago quam discipulus a magistro petierat, quamque is jam mittit, haec est: 'Ut in-

43) e conjectura M. Hauptii Opusc. III p. 563. cod. et.

44) Anacoluthon haud infrequens est in his epistulis: cf. e. g. 9, 10. 30, 2. 46, 14. 48, 4. 55, 3. 66, 24. 88, 13. 94, 17 et 21 (? cf. Klussm. p. 51 et adn. w.).) 139, 10. Ebertus, ut non pauca alia, omisit.

45) Ita cod., sed sec. manu 'fictum'. Schopen: efficturus.

sula Aenaria intus in lacu aliam insulam protegit ab omnibus periculis tutam, omnium vero deliciarum participem: item pater tuus imperii romani molestias atque difficultates ipse perpetitur, te tutum intus in tranquillo sinu suo socium dignitatis gloriae bonorumque omnium participem tutatur'. Ex hac imagine luculenter apparet, verba 'in tuo atque in tui patris sinu' recte se habere non posse. Nam non de utriusque sinu imago est, sed de filio in patris sinu a molestiis tuto. Itaque scribendum est: 'si in te atque in tui patris sinu . . quaeram'. Librarii oculi inter scribendum sequens 'tui' praeripuerunt. Inde vitium natum esse videtur.

Ad M. Caes. III 8 = p. 46 v. 9. Postquam illam imaginem descripsit, Fronto ita pergit: 'aliam εἰκόνα nullam adjiciam, sed rationem qua tute quaeras ostendam. Et amem te; tu quas εἰκόνας in eandem rem demonstrata ratione quaesiveris et inveneris, mittito mihi, ut, si fuerint scitae atque concinnae, gaudeam.]. Verba et 'amem te' in orationis filum incidunt omnemque sententiarum ordinem turbant. Nec Herwerdeni (Mnemos. I p. 292) conjectura 'ita amem te' difficultates solvuntur. Itaque conjeceram, verba post 'gaudeam' transponenda esse, cum idem iam ab Eussnero Rh. Mus. XXV p. 544 propositum esse vidi. Transpositio ea re verisimillima fit, quod verba 'et amem te' a secunda manu addita facili ejus, qui ea ex alio codice adscripsit, errore non post 'gaudeam', sed post aliam conjunctivi formam similem poni potuerunt.

Similem in modum secunda manus erravisse videtur **Ad M. Caes. III, 2 = p. 49 v. 13,** ubi discipulus magistro haec scribit: 'Verum dicere ex te disco. Ea res verum dicere prorsum diis hominibusque ardua.]. Recte Cornelissen Mnemos. I p. 93 intellexit, alterum 'verum dicere' delendum esse. Causa erroris patet. Nam cum verba 'dicere ex te disco ea res verum' a posteriore manu scripta esse Naber adn. 5) testetur, a prima manu scriptum fuit hoc: 'Quod verum dicere prorsum diis hominibusque ardua'. Corrector,

cum lacunam expleret, in eo erravit, quod verba 'ex te disco. Ea res' non post 'dicere', sed post 'verum' inseruit. Jam ut sensus intellegeretur, ante 'ex te' adscripsit 'dicere' et post 'ea res': 'verum'.

Ad M. Caes. III, 13 = p. 50 v. 4 sq. Fronto Caesari: 'gaudeo . . ., tot mihi in tam pau[cis diebus] epistulas scriptas, easque tam eleganter, tam amice, tam blande, tam effuse, tam fraglanter[46]) compositas; cum clam tot negotiis, quot officiis, quot rescribendis per provincias destringerere]. Majus mavult 'tot neg., tot off., tot rescr.'. Simplicius esset, si tribus locis 'quot' scriberemus. Sed codicis lectionem ferri posse existimo. Aliud est in quo offendimus: vitio enim gravissimo neque tamen a quoquam hucusque animadverso verba deturpantur. Illud 'clam' prorsus ineptum esse ipso Fronto demonstrat, qui in eadem epistula saepius, ut est loquax mulier, declarat, optime se scivisse, quantis negotiis M. Caesar obrueretur. cf. p. 50 v. 11 'proposueram vel desidiae culpam a te subire rarius scribendo tibi potius quam te multis rebus occupatum epistulis meis onerarem et ad rescribendum provocarem'. p. 51 v. 2 'cogitans quantum ex epistulis scribendis laboris caperes, proposueram parcius te appellare'. p. 51 v. 18 'id ego non mediocriter anxius eram, ne necessariis laboribus tuis ego insuper aliquid molestiae atque oneris imponerem, si praeter eas epistulas, quas ad plurimos necessario munere cotidie rescribis, ego quoque ad rescribendum fatigarem'. Itaque pro cod. 'cum clam' conjicio: quamquam.[47])

46) Ita cod. pro 'flagranter' cf. ind. orthogr. apud Majum Naberumque.

47) Conjunctivus 'destringerere' sequitur, quod tota enuntiatio adversativa accusativo cum infinitivo subordinatur. Simillimi sunt hi loci 54, 5. 73, 16. 97, 9. 143, 8. 180, 1. Sed etiam ubi accusativo cum infinitivo non subordinatur, 'quamquam' cum conjunctivo conjunctum est his locis: 111, 21 'est Herodes summus nunc meus, quamquam exstet oratio' (= 138, 3). 132, 16 'quamquam me diu cum ista valetudine vivere . . pigeat taedeatque, tamen . . . vivam'. 187, 18 'quamquam reciperata sit commoda valetudo, tristitia tamen inhaeret animo meo.'

Ad M. Caes. III, 15 = p. 52 v. 17. Opprobrio fecerat discipulus magistro, quod in disserendo artibus argutiisque quibusdam ad adversarium redarguendum usus esset, quas ipse verae amicitiae non accommodatas esse judicaret. Fronto Socratis exemplo se defendit: 'Quibus ille modis . . . sophistas . . . versare atque inretire solitus? quando autem aperta arte congressus est? quando non ex insidiis adortus? quo ex homine nata inversa oratio, quam Graeci *εἰρωνείαν* appellant. Alcibiaden vero ceterosque adulescentis genere aut forma aut opibus feroces quo pacto appellare atque adfari solebat? per jurgium an per *πολιτίαν*? exprobrando acriter quae delinquerent an leniter arguendo?'].

Primum non video cur editores inter medias interrogotiones post verba '*εἰρωνείαν* appellant' punctum quam interrogationis signum, quod multo melius in hunc locum quadrat, ponere maluerint. Nam quod in margine legitur: 'Ex hoc homine nata est inversa oratio, quae ironia dicitur', hoc nullius momenti esse potest.[48]) Persaepe enim in margine in verbis ex ipso codice repetendis eorum structura mutatur.[49]) — Sed altera res est multo gravioris momenti,

---

48) cf. Nab. praef. p. XIII.

49) cf. e. g. p. 26 v. 7 in textu: 'domino sexagena currebam, mihi centena, ut fugiam, curram', in margine: 'sex. dom. curr., cur mihi centena non curro, ut fugiam?'. cf. etiam p. 52, 14 et 18 adn. b); p. 58 adn. a) p. 61 adn. a et saepius. A magna copia eorum marginis notarum, ubi 'emendator unam pluresve sententias, quae sibi memorabiles viderentur, repetiit, vel unum verbum paulo rarius exscripsit' vel judicium aliquod de eo, quod in textu legebat, adscripsit, prorsus alienae sunt 'variae lectiones ex aliis libris ductae' (cf. Nab. praef. p. XIV), quattuordecim omnino locis additae. Quibus omnibus praescriptum est: 'in alio' (sc. codice) vel 'alibi', vel 'in alio habet', vel 'in alio sic habet'. Semel postpositum est 'in aliis' (p. 107, 7). Quattuor locis inter textus et marginis lectionem, cum utraque sensui pariter satisfaciat, vix dijudicandum erit: 27, 17. 31, 13. 46, 1. 67, 1. Aperte falsa est marginis lectio his quinque locis: 19, 1. 56, 18. 68, 5. 69, 9. 73, 13. Textus lectionem etiam praefero p. 65, 16 propter concinnitatis legem (cf. meam conjecturam ad h. l. infra p. 21). Idem sentio ad loc. p. 107, 7. Porro p. 53, 5 utraque lectio non recte se habet, sed marginis aliquanto melior videtur (cf. Hauptii

quae offensionem haud parvam habet. Quid enim sibi vult illud Graecum verbum, quod tamen Graecum non est, *πολιτίαν* dico? Orellii commentum *γοητείαν* redargutione vix eget. M. Haupt, cui Naber dubitanter adsentitur, Opusc. II p. 348 *πολιτίαν* nihil aliud esse, quam neglegentius scriptum *πολιτείαν* affirmat, quod verbum h. l. satis memorabili usu significet urbanitatem et facetiarum leporem; eo enim sensu inveniri *πολιτικός* et *πολιτικῶς* apud Polybium, Plutarchum, Longinum, alios recentiores scriptores, et item etiam usurpari *πολιτικισμός* et *πολιτικεύεσθαι*. Haec optime disputata sunt quod ad haec verba modo enumerata attinet: ad verbi *πολιτεία* autem significationem nihil ex eis sequi contendo. Idem sensisse Herwerdenum Mnemos. I p. 293 gaudeo; quod tamen ipse conjecit, *παιδίαν*, non melius est quam Orellii inventum. Iam quid mihi primo obtutu in mentem venerit, aperiam. Puto enim, Frontonem, cui adjectivi quod est 'politus' notio obversaba-

---

conjecturam 'quanta'). p. 27, 7 marginis lectionem praefero, cf. infra p. 33 adn. 74). Superest locus 19, 2, 'alia dignitate sunt [in Portunio] quom a coronariis veniunt, alia quom a sacerdotibus [in templo] porriguntur', ubi quae uncis seclusi in textu desunt, sed in margine leguntur. Marginis lectionem antiquam et germanam scripturam esse judicat Heindorf, cui adsentitur Buecheler Rh. Mus. XII p. 260. Mihi non plane de ea re constat. Nam per se non opus esse his additamentis quae etiam glossematum loco in alium Frontonis codicem irrepere potuerint, monuit H. Jordan. Accedit quod marginis lectionem in universum pejorem quam textus scripturam esse vidimus. Tamen, ut dixi, mihi de ea re non certum judicium est. Certe de ejus, qui has notas adscripsit, fide dubitare vetamur eis locis, ubi ex alio fonte aperte falsas lectiones attulit; quod non fecisset, contra ipsius emendationes pro aliorum codicum lectionibus venditavisset, si lectores fallere voluisset. Ceterum minimum duobus praeter nostrum codicem eum usum esse evincitur loco 107, 7 'de' in aliis' et 19, 1 et 2, ubi ad textus verba 'alia dignitate sunt' semel adscripsit: in alio habet 'insunt', mox 'in alio sic habet: Alia dignitate sunt in Portunio sq.' H. l. si 'sunt in' natum est ex 'insunt', quod veri non dissimile est, in duobus aliis codicibus legebat 'sunt in Portunio'. Tum Heindorf recte de illis additamentis dixisse judicandus esset.

tur, per jocum h. l. a latino verbo derivasse graecam formam hybridam 'πολιτίαν'; id quod ea re verisimilius fit, quod lingua latina caret nomine substantivo, quod ab hac stirpe profectum metaphorice ingenii morumque cultum significare possit. Graecis verbis abundat Fronto et plus quam abundat. Neque incredibile est, hanc formam jocose et non sine aliqua facetiarum specie finxisse eundem, qui 'in insperatis atque inopinatis verbis elegantias' quam studiosissime quaesivit,[48] quique adeo graecam latinamque linguam permiscuit, ut a graeco verbo in modum latinae linguae fingeret ablativum: 'in hac εἰκόνε.[49]

Porro etiamsi non prorsus idem, attamen simile est, quod Fronto p. 156, 1 ex ingeniosissima simul et certissima et Studemundi et Martini Hertz conjectura scripsit: 'confusam eloquentiam subvertendam censeo radicitus, immo vero Plautinotato[50] verbo exradicitus'. Quis h. l. non meminerit lepidissimi illius Ciceroniani Ad Att. I 16, 12: φιλοσοφητέον et istos consulatus non flocci facteon?[51]

Ad M. Caes. III 16 = p. 54 v. 19. Fronto discipulum leniter vituperat, quod viribus infirmis ad ἐπιδεικτικὸν genus orationis, quo nihil difficilius sit, aggressus sit: 'Meministi autem tu plurimas lectiones, quibus usque adhuc versatus es, comoedias, atellanas, oratores veteres; quorum

---

48) cf. Studem. l. c. p. XXXII et Fronto p. 63, 13 sq.; cf. praeterea p. 12,8. 54,19. 98,23. 140,6. 151,4. 152,13. 154,9.

49) p. 47. 1 cf. Teuffel Roem. Lit. Gesch. § 355, 8.

50) cf. Studem. l. c. p. XXXII et M. Hertz Rh. Mus XXIX p. 367. cod 'Plautinotrato'.

51) Fortasse etiam aliter nostrum locum interpretari possumus Nam cum priscae linguae proprium fuisse vocabulum 'impolitia' ea re appareat, quod 'si quisque Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat', a censore 'impolitiae' notabatur (cf. Gell. N. A. IV 12,2. Paul ex Festo 108,4), suspicari possumus, etiam simplex 'politia' in prisca lingua fuisse. Quo cum Fronto metaphorice de ingenii morumque facultate usus esset, librarius vocabulum ipsi ignotum per errorem pro graeco habuit. — Vides plures in hac interpretatione difficultates; itaque praefero, quod in textu dedi.

aut pauci aut praeter Catonem et Gracchum nemo tubam inflat; omnes autem mugiunt vel stridunt potius. Quid igitur Ennius egit quem legisti? quid tragoediae ad versum sublimiter faciundum te juverunt? Plerumque enim ad orationem faciendam versus, ad versificandum oratio magis adjuvat]. Opprobrio facit discipulo, quod comicorum poetarum oratorumque veterum verbis orationem suam pompaticam non recte ornaverit, Ennium autem tragicosque poetas, quibus, cum plenissimo ore loquantur, potissimum uti debuerit, plane neglexerit. Mirum est, Frontonem de oratione epideictica agentem subito de versibus faciundis loqui, quasi vero discipuli oratio versibus composita fuisset. Sed magis etiam mirum, in sequentibus 'plerumque-adjuvat' iterum de prosa oratione versuum lectione adjuvanda i. e. versibus insertis exornanda agi. Quid multa? Versum ineptissimum est, et confidentissime emendo: 'ad verbum sublimiter faciundum'. Quod singulari numero Fronto utitur, in hoc ne offendas cf. p. 65 v. 13 'visus es mihi insuper habuisse, cum ordinem verbi tui immutassem, uti ante tricipitem diceres, quam Geryonam nominares' p. 225 v. 2 'ut bene haberes genio utique verbo vetere faceres animo volup', ubi e praecedentibus sequentibusque apparet, de veterum scriptis, non de proverbio quodam vetere verba fieri. p. 162, 4 'verbum aliquod adquiras non fictum a te, sed usurpatum concinnius aut congruentius aut commodatius.[52]) — Eadem emendatio (verba pro cod. versa) p. 121 v. 11 a Maehlyo Philol. XIX p. 159 et Hauptio facta est.

Eodem modo fortasse sanandus erit locus **De Fer. Als. III = p. 230 v. 9:** Ea somnia plerumque adversum convertunt. Igitur, Marce, si quo tibi somnio hinc opus est, censeo libens dormias tantisper dum quod cupis quodque exoptas vigilanti tibi optingat.]. De talibus somniis

52) Similiter 'littera' singulari numero legitur, ubi pluralem exspectamus: p. 61 v. 17: 'Sota Ennianus remissus a te et in charta puriore et volumine gratiore et littera festiviore, quam antea fuerat, videtur.

agit Fronto, quae dormientibus ejus, quo quisque devinctus est, studii simulacra ostendant. Marcum, quem propter nimias vigilias vituperat, dormire et somniare jubet, ut sponte evenientibus somniis ipse labore supersedeat. Inde sequitur, boni aliquid de eis somniis praedicari debere et inepte Muetzellium[53]), si omnino emendatione opus esset, adversa proposuisse. Procul dubitatione Maji conjectura 'ad verum' a Nabero in textum recepta rectum sensum praebet, dummodo grammaticae rationibus admittatur. Nam 'convertere ad rem' eodem sensu quo 'mutari in rem' non magis dici potest, quam 'mutari ad rem' Alio sensu prorsus diverso p. 51, 18 legitur: 'ad verum convertar', p. 74, 25 'convertar ad serium' cf. etiam 101,5. 129,1. 138,14. Sed uno loco, ubi verbum activo genere, sed sensu reflexivo usurpatur, cum praepositione 'in' conjungitur: 105,26 'spes in rem convertit'. Itaque virorum doctorum commenta non satisfaciunt. Nobis dux emendationis erit Cicero, qui eadem de re plane similibus verbis haec ait: De div. I 44,99: 'Quod quidem somnium Sisenna cum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse' sq. sq. Itaque conj. 'Ea somnia plerumque ad verbum conveniunt.' Quod deest 'cum re' vel simile quid cum conveniendi verbo conjunctum, in hoc nulla offensio est. Eodem enim modo, quo 'convenit' impersonaliter usurpatum, etiam ceteris verbi formis 'convenire' omissa re quacum altera res comparatur, significare potest id quod vernacula lingua 'stimmen' dicimus. cf. Ter. Andr. V. 4,39 **Ch.** Nomén non convenít. **Cr.** Fuit hercle huic áliud parvae. **Ch.** Quod, Crito? Ter. Phorm. I, 2, 3 Accipe en. Lectúmst; conveniet númerus quantum débui.

Ad M. Caes. IV, 3 = p. 62 v. 3. Sententiam initio epistulae positam: 'Omnium artium imperitum et indoctum omnino esse praestare, quam semiperitum et semidoctum' Fronto hoc exemplo probare conatur: 'Philosophiae quoque disciplinas ajunt satius esse numquam attigisse, quam leviter

---

53) Zsch. f. d. Gymnas.-Wesen 1859 p. 640.

et primoribus, ut dicitur, labris[54]) delibasse; eosque provenire malitiosissimos, qui in vestibulo artis obversati prius inde averterint quam penetraverint]. Non de hominum moribus sed de eorum intellectu, arte, doctrina semiscientiae periculis obnoxiis dicit Fronto, id quod e sequentibus, ubi de semidoctis rhetoribus agit p. 51 v. 7 sq. luculenter perspicitur: 'Tamen est in aliis artibus ubi interdum delitiscas et peritus paulisper habeare quod[55]) nescias. In verbis vero eligendis conlocandisque ilico dilucet. Nec verba dare diu quis[56]) potest, quin se ipse indicet verborum ignarum esse eaque male probare et temere existimare et inscie contrectare neque modum neque pondus verbi internosse'. Artis, non morum pravitatem dicit. Itaque nullus dubito quin illud 'malitiosissimos', quod per se intellegi posset, sed non congruit cum totius loci consilio et ratione, falsum sit, conjiciendumque sit 'vitiosissimos', quae vox cum ad utrumque, et ad mores et ad artem spectet, tamen h. l. ancipiti sensu esse nequit. Marginis lectionem 'malitiosissimos' nostro jure nihil curamus. cf. supra adn. 49).

Ad M. Caes. IV, 3 = p. 65 v. 15. 'Pleraque in oratione ordine immutato vel rata verba fiunt, vel supervacanea. Navem triremem rite dixerim, triremem navem supervacaneo addiderim. Neque enim periculum est, ne quis lecticulam aut raedam aut citharam triremem dici arbitretur]. Concinnitatis lege postulatur, ut corrigamus: 'navem triremem rate (vel rato cf. Forc. s. v.) dixerim, triremem navem supervacaneo addiderim'.

Ad M. Caes. IV, 3 = p. 65 v. 24 sq. Verba versus

---

54) e Klussmanni p. 43 conjectura. cod. 'labiis'.

55) Malim 'quom' (= quamvis). Vix enim credibile est, Frontonem hoc dicere voluisse, eam ipsam ob rem quod quis nesciat, posse eum pro perito haberi. Id enim per se absurdum et a nostro loco alienissimum est.

56) e Klussmanni l. c. p. 43 conjectura perbona. Cod. 'diutius'.

finem mutilata ita suppleverim: 'Jam prius scripseram tibi, me umeri dolore vexatum ita vehementer quidem, ut illam epistulam, qua id significabam, scribendo dare operam nequirem; sed uterer contra morem nostrum [precaria manu]. cf. p. 71 v. 6.

Ad M. Caes. IV, 12 = p. 74 v. 21 sq. Narrat Fr., nonnumquam se coram paucissimis ac familiarissimis suis in M. Caesarem, quod saepe tristior quam par fuisset, in coetum[57]) hominum progressus esset vel in theatro conviviove libros lectitasset, absentem gravioribus verbis invectum esse: 'Tum igitur te durum et intempestivum hominem, odiosum etiam ira percitus appellabam. Quod, si quis alius eodem te convicio audiente me detrectaret, aequo animo audire non poteram. Ita mihi facilius erat, ipsum l o q u i, quam alios de te sequius quid dicere perpeti']. Quam frigidum languidumque illud simplex 'loqui' sit, ubi gravius vituperandi verbum exspectamus, neminem non sentire arbitror. Itaque — quamvis non prorsus certum de ea re judicium sit — conj. 'ipsum [ob]loqui', quod verbum eodem sensu non addita ejus persona, cui quis obloquitur, usurpavit Catullus LXXXIII, 5 'nunc quod gannit et obloquitur, . . . iratast', Afranius v. 13 (Ribb.[2]) 'quid est istuc? te blaterare atque obloqui?' et alii, quos videas apud Forcell. s. v.

Contraria ratione alii loco medendum erit: **Ad M. Caes. IV, 1 = p. 59 v. 17.** 'Invidia perniciosum inter homines malum maximeque internecivum, sibi aliisque pariter obnoxium.]. Mirum h. l. est compositum simplicis sensu adhibitum. Itaque cum apud Columellam II, 17 § 2 (Schneid.) recte Gesnerus optimi codicis Sangermanensis fide nisus vulgatam lectionem 'omnesque lapides et siqua objacent falcibus o b n o x i a colligi debent ac longius exportari' correxerit in 'n o x i a'[58]) vereor ne noster locus ex-

57) e Hauptii conjectura. cod. 'coetu'.

58) Corruptelae causa fuit praecedens 'objacent'.

emplo careat. Itaque librarii errore 'obnoxia' h. l. pro recto et sincero 'noxia' scriptum esse puto.[59])

Ad M. Caes. V 5 (20) = p. 78 v. 8. M. Aurelius magistrum, quem biduo visurus est, obviam sibi venientem Cajetae se opperiri jubet, quo brevius ei sit iter morbo recenti: 'Facio delicias, quod ferme evenit quibus, quod cupiunt, tandem in manu est: differunt, afluunt, gestiunt']. In margine haec leguntur: 'diffluunt, affluunt'. Sed marginem nihil moror. Nemo negabit, illud 'afluunt' sive 'affluunt' intellegi non posse et prorsus alienum esse ab hoc loco, ubi aliquod verbum requiritur, quod bene cum differendi et gestiendi verbis conjungi et apte de istis delicatis dici possit. Itaque conj: 'differunt, abdunt, gestiunt'.

Ad M. Caes. V 51 (66) = p. 91 v. 1. Quom haec scribas mihi, magister, credo intellegis sollicitissimum me vota facere pro salute tua]. Inter tot exempla, ubi Caesar magistrum adloquitur, hoc unum invenitur, ubi eum simpliciter 'magister', nullo attributo, quod dicimus, addito appellat. Itaque nescio an scribendum sit: 'quom haec scribas, mi magister', e. q. s. cf. p. 91,3. 57,17. 72,9. 79,12. 80,20. 101,18. 106,7. 106,19. 116,6. 223,6. 230,15. 231,17.

Ad M. Caes. V 53 (68) = p. 91 v. 8. Epistula proxime antecedente Fronto M. Aurelio scripserat, 'decem tanta' se filiolam Marci amare, quod parentium tam similis esset. Rescribit Marcus: Et nos Gratiam, quod tui similis est, magis amamus. Facile ergo intellegimus, quanta apud te sit filiolae nostrae conciliatrix similitudo utriusque nostri'.]. Contrario exspectamus, propter eam rem Frontonem a Marco magis amari, quod Gratia, ejus filia, patris similis sit. Nam tum demum apte respondet haec epistula priori et tum demum utriusque amor ita comparari potest,

---

59) cf. p. 206, 14 'rei militari desidia noxia est. p. 214, 14 videtur, diligentiam magis periculis obnoxiam esse. Utroque loco simplex et compositum recto et solito sensu usurpatum est.

ut Marci epistula particula 'et' (= etiam) incipere possit. Itaque quamvis audacter conjicerem: 'Et nos, Gratia quod tui similis est, [te] magis amamus. Facile ergo intellegimus, quanta apud te sit filiolae nostrae similitudo conciliatrix utriusque nostri'[60]) — ita, dico, conjicerem, nisi saepius M. Aurelius in his epistulis a certis cogitandi legibus logicis, quas dicimus, mirum in modum aberraret cf. quod ipse fatetur, p. 61 v. 11 'si quod verbum absurdius aut inconsultior sensus, aut infirmior littera istic erit, id tempori adponas'.[61])

Ad Ver. Imp. II 1 = p. 128, 21. In descriptione exercitus Syriaci qualis fuerit ante Veri adventum Fronto haec ait: Haud multi (sc. milites) vibrantis hastas, pars major sine vi et vigore, tamquam laneas jacere]. Gaudeo, quod, postquam conjeci 'lanceas', idem jam ab Henrico Jordan, praeceptore carissimo, propositum esse inveni, cujus verbis in adnotatione[62]) adscriptis hoc addi potest, aptissimam esse hanc imaginem propterea, quod lanceae e manibus missae in ipso volandi impetu amento, quod secundum Isidor. Orig. XVIII, 7 medium habebant, subito impeditae et infracta vi humum cadentes ei qui non prope adstabat, speciem praebere debebant, quasi ex infirmis enervibusque manibus missae essent.

---

60) Etiam alibi verborum ordo falso a librario permutatus est: cf. p. 130 v. 4 'Cur igitur aliis quam tibi saepius (sc. scripsi)? ut breviter absolvam: quoniam quidem, nisi ita facerem, illi irascerentur, tu ignosceres; illi tacerent, tu flagitares'. Procul dubio recte Maehly Philol. XXX p. 159 scripsit: 'illi flagitarent, tu taceres.'

61) Tales loci ubi ingenio abuteremur, si emendare studeremus, fortasse sunt hi: p. 4 v. 17, 40 v. 17, 55 v. 15. Non indigna res videtur, quae paulo accuratius subtiliusque tractetur; quod tamen nunc longum est.

62) Hermes VI p. 72: 'Den bei Fronto gewöhnlichen Grad von Albernheit übersteigt es, wenn in der Schilderung der früheren Zustände gesagt wird 'haud — jacere'. Eher sollte man noch immer lanei erwarten. Aber es wird wohl 'lanceas' zu schreiben und an leichte und elegante Jagdspiesse zu denken sein.'

Ad M. Anton. De eloqu. = p. 149 v. 7: 'Balbuttientium vitium his ferme verbis significatur: vox impedita, vox vincta, vox difficilis, vox [fracta], vox imperfecta, vox absona. His contraria quaerenti tibi subvenisse certum habeo: vox expedita, vox absoluta, vox facilis, vox [perfecta], vox [amabilis].']. Vides singula vocis genera accurate inter se opponi, priorique verborum seriei alteram respondere. Sed, si recte Majus verba uncinis inclusa legit — nam nunc quidem totam paginam legi non posse testatur du Rieu —, deest, quod opponatur voci fractae. Itaque scribendum erit: 'vox facilis, [vox infracta], vox [perfecta]. De hoc parallelismo saepius aqud Frontonem occurrente cf. O. Jahn Philol. XXVIII. 7 et R. Klussmann l. c. p. 54.

Ad M. Anton. De orationib. = p. 156 v. 10. 'Quid si prandium idem utrisque (cod. utriusque) apponatur, adpositas oleas alter digitis prendat, ad os adferat, ut manducandi jus fasque est, ita dentibus subjiciat: alter autem oleas suas in altum jaciat, ore aperto excipiat, exceptas, ut calculos praestrigiator, primoribus labris ostentet? Ea re profecto pueri laudent, convivae delectentur]. Jacobs conjecit 'plaudant', sed tum exspectamus 'ei rei', non 'ea re'. Muetzell l. c. proposuit 'laudentur'. Sed hoc simplicius videtur: 'Ea re pr. pueri ludant, convivae delectentur', ut pueri ludentes convivis delectatis opponantur.

Ad Ant. Pium II, = p. 163 versus finem. Post lacunam haec leguntur: . . . 'optimo in tam trita et assidua tibi materia invenire et posse]. Apparet corrigendum esse: invenire te posse.

Ibid. p. 166 v. 21 sq. 'Res istas, quas nec [tacere] voluimus, nec negare credimus[63]) et, si dii aequi sunt, veras et congruentes simplicitati nostrae amicitiae semper adsequamur]. Verba carent constructione. Leve vitium facile

---

63) Ellis Journal of Philology vol. I p. 15 conjecit: 'nec negare [a re] (vel [e re]) credimus.

est ad sanandum. Corr. 'Res, quas . . . credimus, eas, si sq., adsequamur.'

Ad amic. I. 12 = p. 182 v. 1. Fronto genero suo Aufidio Victorino de Frontone ejus filiolo ipsiusque nepote, qui apud avum educabatur, non inlepide ita scribit: 'Quum tu nullam umquam mercedem ullius rei agendae dicendaeve a quoquam postularis, Fronto iste nullum verbum prius neque frequentius congarrit, quam hoc: da: ego contra quod possum aut chartulas ei aut tabellas porrigo, quarum rerum petitorem eum esse cupio. Nonnulla tamen et aviti ingenii signa ostendit]. Recte si se haberet illud 'et' (= etiam) ante 'aviti' Frontonem dixisse necesse esset, multa paterni ingenii signa a filiolo ostendi. Quod cum jocose neget, nullus dubito quin deleto 'et' scribendum sit: 'Nonnulla tamen aviti ingenii signa ostendit'. Hoc sentit: patris quidem non simile est ingenium pueruli, at avi. Illud 'et' prave e prioris verbi 'tamen' ultima syllaba repetitum videtur.

Ad amic. II, 7 = p. 197 v. 1. 'Lenissimum, mansuetissimum, doctissimum, piissimum, in causa non dicam bona, finge enim ambigua, tanto natu senem prohibuisse curia interim!]. Opprobrio facit Arrio Antonino, quod Volumnium Serenum, accusatum, quod injuria decurionatus commoda usurpasset, interim e curia removerit. Itaque Arrio causa ambigua erat, neque Fronto eum id fingere jubere potest. Corr. fingo. Sic demum recte opponuntur: 'non dicam bona' et 'fingo ambigua'.

Ibid. p. 198 v. 1. E miserrimis Frontonianorum verborum laciniis haec legi possunt: 'Homini seni quidquid interim fit, juxta interim fit', et ita 'homini juxta interim fit' in margine repetitur. Sensus ex eis, quae supra in hac eadem pagina dixi et e Frontonis verbis praecedentibus cf. Nab. p. 197, apparet. Dicit enim, quod Arrius hominem interim a curia prohibuerit, in hoc eum non cogitavisse rerum naturam, secundum quam nec messis torrida, nec sol ad interitum vergens, nec senectus ad mortem properans apte retardari atque differri possit (cf. p. 197 v. 10 sq. Nab.), hoc enim illa voce 'interim' contineri. Mi-

sere lacera sunt sequentia, e quibus verba emendanda desumpsimus et audacius fortasse videbitur in eis aliquid corrigere velle. Sed faciamus periculum in corpore vili emendemusque: 'homini seni quidquid interim fit,' juxta interitum fit, ut Frontonem h. l., ut saepius, verborum lusu usum esse putemus[64]) cf. Tac. Dial. 22 'quas (sc. orationes) senior jam et juxta finem vitae composuit'. De 'juxta' praepositionis vi temporali cf. Hand Tursell. III, 538 Nr. 3.

De fer Als. III = p. 224 v. 13. 'Nec dubito quin . . aethere tranquillo in altum portisculorum et remigum visu

---

64) cf. p. 42,1 protelari conviciis talem a me virum non est verum. p. 33,5 paratus sum, dum ante plures dies ejurem, per plures deos jurare. 204,20 haud ignarus, fortia facinora viventium gravatius, mortuorum gratius accipi. 214,5 qui nimis anxie munia conficiunt parum amicitiae confidunt(?). 225,7 tu umquam volup? volpem facilius quis tibi quam voluptatem conciliaverit. 53,11 neque umquam auditores discessere lacerati, sed nonnumquam lacessiti. 86,3 tam suavis tamque saviata. 87,12 et ornata fuit et cordata(?). 185,5 Veneti (sc. agri) fatum, ut numquam venierit, veneat semper. 233,12 neque mensum neque pensum. Aliud genus his exemplis constat: 7,9 grati pariter et gratuiti. 7,12 et jugis est et jucundus. 136,10 oris atque orationis tuae. 220,15 non minus cadendo quam caedendo. 233,15 pro adversis aversamur. Nonnumquam diversa eorundem verborum significatione ludit: cf. p. 227,13 Si quempiam condemnas 'parum cavisse videtur' ais. Istuc quidem si lucernae removeantur, nihil videri poterit' — Cum Veri nomine ludit p. 122,18 si verum imperatorem quaeritis. 137,4 ab uno et vero principe. — Prioribus fortasse addendum erit p. 132, 19 neque invitus quantum vitae dabitur vivam.

M. Aurelii haec sunt: p. 36,1 palantes balantesque. 67,17 rancidos racemos et acidos acinos [hoc tam bonum est, ut ex aliqua comoedia haustum putem]. 29,50 si ad singula capita caput tuum basiare possem. 93,8 valeant omnes Porci et Tullii et Crispi, dum tu valeas (cf. p. 4,17 cum Klussmanni bona interpretatione l. c. p. 13 versus finem). 56,17 quom tu bene stabis, et meus animus bene constabit.

Pars e prisca comoedia hausta videtur.

auditque oblectares]. Majus post 'altum' in ed. Mediol. suppleverat 'profectus'. Sed non est lacuna. Scr. in alto te obl.

De nep. am. II = p. 233 v. 7. 'Poetae colus et fila fatis adsignant: nulla profecto tam sit importuna et insciens lanifica, quae erili togae solidum et nodosum, servili autem suptile et tenue suptemen neverit. Bonos viros luctu adfici, malos re familiari incolumi frui, neque mensum neque pensum fatorum lanificium[65]) duco.

Nisi forte alius quidem nos error jactat et ignari rerum, quae mala sunt, quasi prospera concupiscimus; contra, quae bona sunt, pro adversis aversamur.]. Fata accusat, quod Victorinum filio, ipsum nepote orbaverint. Nemo negabit, verba 'nisi f. alius quidem error nos jactat' recte se habere non posse. Nam non de alio et prorsus diverso errore agitur, sed de eadem, quae supra exposita est, sententia, quaeque numquam antea 'error' appellata est. Is ipse error, quo perducimur, ut bona pro malis, mala pro bonis aestimemus, causa est, cur providentiam injuste res humanas regere putemus. Itaque non leve in his verbis est vitium, quod non tangitur Niebuhrii conjectura 'quidam' pro 'quidem'. Multae certe emendationis viae sunt, velut si corrigas 'antiquus' vel 'avitus error'. Multo tamen praestare videtur hoc: 'nisi forte avius quidam nos error jactat cf. Senec. Troad. v. 572 (Richt. Peip = v. 563[66]) prior. edition.) ubi Andromacha ita filiolum absentem queritur: Gnate, quis te nunc locus, Fortuna quae possedit? errore avio Vagus arva lustras? Tamen h. l. 'error avius' non metaphorice de ingenii vitio sed proprie de arvis ab errabundo perlustratis dicitur, et sane audax et poeticum est, quod conjectura Frontoni dedimus. Sed saepius, quam

65) Ita correxi codicis lectionem sine dubitatione falsam 'lanificum'.

66) Error est ap. Forcell. qui laudat Sen. Thyest 563. Ceterum cf. Sil. Ital. XII 493 Init nunc avia coepto Consilia.

ut singulos locos afferre possim, poetarum tumore utitur, et ipsa haec verba ex aliquo poeta mutuatus esse potest.[67])

Epp. Gr. VI = p. 253 v. 6. 'Sed me Caesaris oratio uncis unguibus attinet. Nunc demum video, quantum operis sit ternos vel quinos versus in die tornare[68]) **et aliquid** diu scribere]. Difficile est dicere, quomodo Caesaris oratio causa esse potuerit, ut M. Aurelius sentiret, quam difficile et sudoris plenum esset adsiduo labore in die tamen minimam operis partem perpolire. Fuerunt fortasse excerpta, de quibus saepius in his epistulis sermo fit[69]), facienda, vel oratio in Graecam linguam vertenda, vel simile quid. Sed utut haec res se habet, nihil facit ad vitium, quod inest in verbis 'et aliquid diu scribere' sanandum. Nemini enim nisi qui scribendi artis expers est, difficile esse potest, **aliquid** scribere; sed difficillimum, tale quid scribere, in quo ternos vel quinos versus in die tornet. Itaque, etiamsi verba 'nunc-scribere' sola pro fragmento nobis tradita essent, non dubitarem emendare: 'Nunc denique sentio quantum operis sit, ternos vel quinos versus in die tornare et t a l e q u i d diu scribere.


Ibid p. 253 v. 11. Absenti magistro discipulus scribit: 'At mihi anno priore d a t u m fuit, hoc eodem loco eodemque tempore matris desiderio peruri. Id desiderium hoc anno tu mihi accendis.]. Videmus aegre ferri magistri absentiam a M. Aurelio. Itaque mirum est illud 'datum fuit' quod eo quidem sensu, ut significet: 'permissum, concessum fuit' usitatissimum est, sed ea, quae nostro loco flagitatur, significatione, ut idem valeat, quod 'mihi imperatum fuit, jussus sum' dubito num exemplis quae equidem frustra

67) Tamen sicui ultra ejus quod licitum est fines conjectando progressus videbor, fortasse hoc magis ei placebit: N. f. a v i o s q u i d e m nos error jactat'. 'avios' enim si scribimus, 'quidem' non mutandum erit, quippe quod h. l. vim quandam restrictivam habeat, eandemque, qua Graeci particula γε utuntur.

68) e Buttmanni conjectura praeclara. cod. 'et ornare'.

69) p. 34, 13. 56, 10. 105, 4. 107, 7 et 10 et 13. et saepius.

quaesivi, firmari possit. Igitur conj. 'fatum fuit'. cf. p. 185,5. 'Scis hoc. perpetuum Veneti (sc. agri) fatum esse, ut numquam venierit, veneat semper.' Sequente infinitivo legitur apud Ciceronem Fat. 3,5 'Si Daphitae fatum fuit, ex equo cadere.' et ibid. 12,28. De div. II, 21.



II.

De incertorum poetarum versibus ex epistulis Frontonianis restituendis.

Quam ingenti studio Fronto Marcusque veterum scriptorum Romanorum verba imitati sint, cum e pluribus locis, quibus ipsi eam rem disertis verbis testantur,[70] tum ex eorum elocutione quae ubique antiquitatem saeculorum pulvere araneisque tectam sapit, notissimum est. Sane qui vel cursim has epistulas perlegerit, admiratione simul taedioque motus fatebitur, vix umquam in litterarum historia tam operosam diligentiam tam male evenisse. Sed augebitur admiratio taediumque, si pertractatis cum cura reliquiis Frontonianis fere in una quaque enuntiatione in verborum et delectu et collocatione conjunctioneque exquisitissimum sudorisque plenissimum veteris Latinitatis studium invenerit. Et magnam partem jam hujus imitationis vestigia ab editoribus aliisque viris doctis, inter quos maxima cum laude appellandus est Guil. Studemund l. c. p. XXX sq. collecta sunt; quod tamen non ita factum est, ut non grandis copia ei relicta sit, qui aliquando ad totam hanc quaestionem funditus absolvendam accingetur. Quod ne exspectes a me nunc susceptum iri, peculiaris id operae est neque tam arte cum ea re, quam mihi proposui, cohae-

70) cf. supra p. 18 adn. 48d.

ret, ut deesse nequeat.[71]) Tamen infra, ubi usus erit, nonnulla exempla eis quae jam prius inventa sunt, addam.

Sed reputanti mihi temporum iniquitatem, qua factum est, ut e tanta veterum scriptorum copia tam pauci nobis servati essent, e quibus tamen Frontonem non pauca mutuatum esse adhuc perspicimus, subnata est ea cogitatio, quae verbis huic dissertationi praescriptis exprimitur.

Haud absurdum enim videbatur, periculum facere, num ex molesta hac verborum dictionumque undique arreptarum congerie etiamnunc nonnulla poetarum,[72]) quorum opera perierunt, fragmenta expiscari possem.

Qua in re, si quidem alias, cautione opus est. Magnum enim periculum esse ne quaevis verba sive stilo sive numeris poetici generis similia pro genuinis versibus accipiamus, et in me ipso et in virorum doctorum nonnumquam vanis tentaminibus expertus scio.[73]) Itaque in quae-

---

71) cf. M. Hertz Renaissance u. Rococo i. d. Roem. Literatur p. 48: Viele dergl. Anspielungen sind für uns sicher verborgen, nicht wenige aber lassen sich nachweisen; manches ist auf diesem interessanten Gebiete im Einzelnen geschehen; die ganze Literatur im Zusammenhange darauf hin zu durchmustern und das Gefundene im Zusammenhange zu verarbeiten bleibt noch eine dankbare Aufgabe, e. q. s.

72) cf. ipsius Frontonis praeceptum de ludibundo illo scribendi genere, cujus exempla nobis servata sunt 'Laudes fumi et pulveris et L. neglegentiae'. Laud fum. p. 212 v. 10 (Nab.) Fabulae deum vel heroum tempestive inserendae, item versus congruentes et proverbia accomodata' e. q. s. Sed non in hoc uno genere eam legem secutus est. De epistularum scribendarum arte eadem lex invenitur apud Jul. Victor. in Arte rhetorica cap. XXVII (p. 448 v. 29 Halm Rhet. Lat. min.): 'Graeco aliquid addere epistulis suave est, si id neque intempestive neque crebro facias: et proverbio uti non ignoto percommodum est, et versiculo aut parte versus.'

73) Notum est omnino abhorruisse antiquos scriptores a prosa oratione versuum speciem praebente cf. Cic. De orat. III 44, 175. 47, 182. Orat. 56, 189. Quintil. IX 4, 72. Nota tamen et Tacitea Livianaque exempla cf. Nipperdey ad Tac. Ann. I, 1, 1. Etiam e nostris litteris exemplum, quo monemur, ne omnia versuum similia pro versibus consulto factis venditemus, proferre placet: Lessingio enim, cujus prosa

stione tam difficili ita tantum bonae frugis aliquid me consecuturum esse putavi, ut ipse mihi diffiderem et omnem rem certis quibusdam regulis legibusque subicerem, quas jam, priusquam ad ipsam rem aggrediamur, aperiam.

Et primum quidem consentaneum est, hanc summam totius quaestionis esse legem, ut verba, de quibus agitur, semper seu prorsus metri regulis contineantur, seu paucissimis mutatis additisve facili negotio eis regulis subici possint.[74] Et facile perspicitur, si hexameter verbis scriptoris efficiatur, multo majore jure poeticam originem nos suspicari posse, quam si trochaico vel jambico rythmo oratio

---

nihil prosius esse potest, in Emilia Galotti II, 4 (p. 211 Kurz) excidit optimus hexameter:

Hier nur konnte der Graf Emilien finden und fand sie.

Invenit mihique, ut publici juris facerem, permisit Ricardus Tuerschmann, quem pro vero Musarum sacerdote veneror diligoque.

74) Quod dixi, nostro jure nos levia quaedam mutare posse, cum vix exemplis egeat, tamen duo e permultis addam: Dubitari nequit, quin verba Laberii a M. Caesare p. 30 v. 16 sq. laudata, 'amor tuus tam cito crescit, quam porrus, tam firme quam palma' ita potius a Laberio scripta fuerint:

⏑ ⏑́ ⏑ — ⏑ ⏑́ amor tuus tám cito
Crescít quam porrus, tám quam palma fírmiter.

cf. Buecheler ap. Ribbeck Frgm. com. Lat.[2] Laber. v. 132.

Eeodem jure verba a M. Caesare p. 27 v. 5 laudata: 'Nam illius quidem, ut Plautus ait, amoris imber grandibus guttis non vestem modo permanavit, sed in medullam ultro fluit' (in margine 'pluit') ita a Plauto scripta fuisse puto:

⏑́ ⏑ — ⏑ ⏑́ amoris ímber guttis grándibus
Nón vestem modo pérmanavit, séd ín medullam ultró pluit.

De syllabarum 'sed in' mensura cf. Trin. IV, 4, 9 'séd intus nárrabó tibi' et Bacch. IV, 9, 14 'séd in lecto áccubat'. cf. Brix praef. Trin. p. 14. Praeterea quod marginis lectionem 'pluit' ei quod in textu est 'fluit' praetuli, allitterationis rationibus factum est. cf. Mostell. I, 3, 7 'Amor et Cupido in pectus perpluit meum.'

Ceterum recte Ritschelius ad Mostell. I, 2, 59

'Contínuo pro imbre amór advenit . . . .
Is úsque in pectus pérmanavit, pérmadefecit cór meum.'

contra Majum adnotat, non esse credibile huc spectare M. Aurelii verba. Sine dubio ex deperdita Plauti fabula hausta sunt.

continineatur. Ea enim linguae Latinae indoles est, ut trochaico potissimum sono regatur; faciliusque ad simplices illas trochaicorum jambicorumque metrorum regulas, quibus antiqui poetae Latini utebantur, sermo accommodatur, quam ad artificiosas hexametricorum versuum normas. Sin autem non unius duorumve sed plurium versuum spatio oratio jambico vel trochaico sono regatur, perspicuum est, multo majore jure nos genuinos versus suspicari posse.

Jam si ad hanc rem primariam, de qua modo diximus, quaeque nobis semper condicio sine qua non, ut ajunt, erit, accedent verba verborumque complexus, quae seu gravitate seu suavitate seu viva alacritate comoediarum maxime propria a solito scriptoris sermone discrepant, poeticumque fontem luculenter declarant, multum ea re nostra opinio confirmabitur.

Idem fiet in talium orationis figurarum dicendique formularum usu, quae poetis in variis poesis generibus maxime usitatae fuere.

Porro cum citati, quod dicimus, natura ferat, ut talibus potissimum verbis extrinsecus adsumptis oratio exornetur, in quibus aliquid sententiae generalis locique communis insit, ne id quidem argumentum cum aliis conjunctum spernendum esse arbitrabimur.

Postremo cum tritum jam sit et pervulgatum, quanto allitterationis, quam dicimus, amore devincti fuerint poetae Latini antiqui, sicubi insolitum quendam allitterationis usum inveniemus, hoc magnum et pro rei difficultate satis firmum argumentum erit ad nostram opinionem confirmandam.[75])

Sed jam tetigimus rem difficultatis plenam neque primo obtutu, sed pluribus rebus accurate perpensis dijudicandam.

---

75) cf. Naeke Rh. Mus. 1829 p. 324—418. L. Müller. De re metr. poet. Lat. p. 452 sq. J. Maehly Schweizer. Museum 1864 p. 207—259. Ed. Loch De usu allitterationis apud poetas Latinos. Dissert. Regim., quae prodiit Halis Saxon. 1865. Nuper falsas Bartschi. Westphali, aliorum opiniones de ea re refutavit. H. Jordan Krit. Beiträge z. Gesch. d. lat. Spr. p. 167–188.

Neque enim per se incredibile est, Frontonem discipulosque in tot rebus antiquitatis sectatores ipsos allitterationi studuisse, quo ipsorum orationi 'colorem vetusculum appingerent'.

Igitur jam nobis quaerendum erit, num hi scriptores ipsi allitteratione usi sint, et, si tale putandum erit, quonam modo et quibusnam finibus id fecerint.

Et primum quidem cum Naekius l. c. (cf. imprimis p. 402) ostenderit, allitterationis studium cum ipso sermone Latino natum, semperque ipsi linguae, non soli poetico stilo insitum neque umquam prorsus exstinctum fuisse, ea omnia allitterationis exempla Frontoniana, quae ex communi omnium sermone cotidiano hausta sunt, excludemus segregabimusque ab hac quaestione. Inter quae sunt e. g. haec: funduntur fugantur 10,21. 123,9. propitium et placatum 25,18. 67,20. corpus cura 48,6. forte fortuna 95,11. diem de die ducent 15,6. neque vincire neque verberare 214,2. verbo vetere 225,2. minime miror 105,17. et permulta alia.[76]) His accedunt talia exempla, qualia, quamvis fortasse non sermonis cotidiani propria, tamen saepius apud diversos scriptores usurpentur, ut omnium, quicunque scribebant, communia fuisse videantur. E. g.: munia militiae 177,11 et 23 [Lucr. I 29, Caes. B. G. VI 17] foeda fuga [Sall. Jug. 43,1. Val. Fl. VI 723] parum pudicum [Plaut. Trin. III 2,35. Val. Max. V 3 v. 6] sine vi et vigore (cf. 201,17) [cf. Loch l. c. p. 10] nebulas nubesque [Lucr. V 253, VI 1099. 1121]. nullum adeo vile aut volgatum est . . . quin [Cic. Rosc. Am. 26. Nihil tam vile neque tam vulgare est, cujus sq.] valde volt 102,1 [Caes. ap. Cic. Att. 14,1 'Quidquid vult, valde vult', quod proverbium fuisse puto]

---

76) In universum moneo, me h. l. allitterationis vocabulo complecti non solum plura verba diversae stirpis ab eadem littera incipientia, sed etiam ea exempla ubi verba ejusdem stirpis componantur. Omisi ea exempla, ubi allitteratio cum verborum aliquo lusu, cujus non rara in his epistulis exempla in priore dissertatione p. 27 adn. 64 collegi, conjuncta est. Quamquam etiam ex his lusibus meliores e prioribus scriptoribus hausti esse videntur.

laetus ac libens [Loch l. c. p. 8] viris virtute inferioribus 19,6 [cf. Naeke l. c. p. 376] in vino vigilia 128,24 [Cic. Verr. 5,12. Plaut. Aul. IV 10,65] bonus ac benignus 85,19 [Plaut. Poen. III 2,12. Most. III 2,129. Truc. I 2,27. Ter. Phorm. V 2,2. Hor. Sat. I 2,51]. aliaque similia.

Adde haec exempla certe e priscae Latinitatis scriptoribus desumpta: doctis dictis 138,12 [Plaut. Trin. II 2,99. Asin. III 1,22. Men. II 1,24. Turpil. 38. Enn. Ann. 274. Lucr. V 113] male mulcavit 186,13. 208,16. [Plaut. Most. IV 2,23. Bacch. IV 9,10. Mil. II 2,8. Trin. IV 2,142. Truc. IV 4,3] satin salvae 118,7 [Trin. V 2,53. Ter. Eun. V 5,8] in carcerem compegit 84,1 [Pl. Amph. I 1,3. Rud. III 4,10. Men. V 5,39. Poen. alt. exitus v. 38] tenue suptemen neverit 233,10 [Pl. Merc. III 1,20 (Ter. Heaut. II 3,52)]. Hos locos omnes habes collatos apud Studem l. c. p. XXX adn., cujus locis exemplo adscriptis nonnullos addidi; magnis auctibus auxerunt [cf. Liv. 29, 27,2 bonis auctibus auxitis' et Pseudosall. ad Caes. de rep. 1, 7,4 magnis auctibus auxissent. (cf. Ebert De Frontonis syntaxi. diss. inaug. Erlang. 1880, p. 11). Uterque sine dubio e prisco sermone mutuatus est]. Otto Seyffert Philol. XXIX (1870) p. 398 primus vidit, verba 101,2 'ut nihil sit hoc simili similius' desumpta esse e Plauto Amph. I 1,290 cf. etiam Klussmann l. c. p. 78. His addere possum: magnum et maturum malum 219, 18 [malam rem magnam et maturam Pseud. I 3,5] malus ac malitiosus 24,9 [Mil. Gl. III 3,14] in aetate agunda 219,1. 235,6 [Pl. Amph. II 2,1]. Itidem e priscis scriptoribus hausta videntur e. g. haec: perpeti posse 4,9 [Pl. Asin. V 1,17. Capt. I 1,20 et 2,23. Men. V 1,19 et 43. Enn. trag. frg. v. 360. Ter. Eunuch. I 2,97 et III 5,2] videre sibi visa erat 220,2 [Pl. Epid. I 1,50. Pers. IV 6,16. Most. I 3,113. III 2,135. Lucr. IV 418 et omnino cf. Naeke l. c. p. 377]. in vita mea viderim 101,1 [Ter. Phorm. II 3,20]. Et procul dubio plura investigari possunt.[77]

77) Praeterea veterum scriptorum imitatio statuenda est e. g. in

Postquam vidimus, haud parvam partem eorum, de quibus quaestio fit, exemplorum e veteribus scriptoribus desumptam esse, nonne optimo jure ex ea re concludere possumus, etiam e ceteris allitterationis exemplis omnia ea, ubi vividius et validius allitteratio ad aures nostras penetret, eodem modo e priscis litteris Latinis derivata esse? In quibus haec maxime numero: 'subserviunt sub jugum subactae 61,4. falsa fiducia multifariam labitur 62,2. fortia facinora fecimus 204,20. stagnis Stygiis 228,25 [cf. Verg.

---

his: fac me ut sciam 57,14 [Ter. Heaut. I 1,32] insidias locat 215,1 [Pl. Rud. II 5,17. Curc. I 1,25. Lucil. Sat. XXVIIII 117 (Mueller).] quid mihi tecumst? 70,14 [Pl. Men. V 2,74] aerumnae Herculi 203,4. 158,2 [Pl. Epid. II 1,10. Pers. I 1,2 cf. Cic. de fin. II, 35 Herculis aerumnas perpeti. Sic enim majores nostri labores non fugiendos tristissimo tamen verbo aerumnas etiam in deo nominaverunt. Madvig ad h. l. duo exempla Frontoniana ignorasse videtur.] Praeterea fortasse suspicari possumus, M. Aurelium 35,7 'et meus me alipta faucibus urgebat' jocose usum esse Catonis verbo nobili ap. Sallust. Catil. 52,35: 'Catilina cum exercitu faucibus urget'. — Ceterum poeticum fontem suspicor harum dictionum: mulcendis volgi auribus 22,1. cum labore laboriosum 48,23 argutissimam strofam 55,8. negotium belle se dedit; benest, gaudeo 75,17. [cf. Pl. Most. I 3,50 Bene hercle factum, et gaudeo sq. V 2,26 Bene hercle factum, et factum gaudeo. Poen. V 5,47 Bene factum! gaudeo et volup est mihi. Ter. Phorm. V 6,43 Bene, ita me di ament, factum, gaudeo sq. Et paucissimis mutatis ex M. Caesaris verbis 75,17 evadit versus.

Bélle se dedít negotiúm, benest, [et] gaúdeo.]

aliquantulum detrivit mihi 83,12. vitam pro unguiculo tuo dediderit 96,13. de integris tegoribus 141,17 [cf. Studem. l. c. p. XXXI] lusa sit opera an locata 211,4. ferias quam feriatas 223,1. si quid malae pugnae acciderit 220,10. convivium regium agitares 224,15. altilibus veterum saginarum 224,17. in triumphis mulsum saepius bibit 226,5 [quae verba habent sonum trochaicum]. potavit satis strenue 226,4 (cf. 133,4). prandiorum opimorum esorem optimum 226,9. saturatum et feriatum 226,24. neque mensum neque pensum 233,12. materiam cruentam 253,5. bellum indixtei ludo, otio 227,6. fabulas nectere 178,15. caput aemulum nubibus addere 216,4. fleo ubertim 74,3. 168,15. dictu periculosum et paene obstetricium [ubi, si scribimus 'periclosum' more antiquo, optimus senarius evadit:

dictú periclosum ét paene obstetrícium].

Aen. VI, 323 Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem], in fabulis finem facio 155,1 ut frivolis finem faciam 74,25, fors fuat an frustra 143,14 [cf. Studem l. c. p. XXXI] uncis unguibus 253,6. altilis alumna 37,11. clarius clamito 88,7 [Pl. Poen. V, 3,27 clarus clamor. Amph. V, 1,68 voce clara inclamat] cape coronam 26,18 [Pl. Amph. III, 4,16 capiam coronam mi in caput. Omnino aut totus locus p. 26,17 sq., aut, si non totus, magna pars e comoedia sumpta esse videtur: 'Manus do, vicisti: tu plane omnis qui umquam amatores fuerunt, vicisti amando: cape coronam' cf. eodem sensu Pl. Pers. V, 2,71 'fateor: manus vobis do' et II, 2,33 'jam abi: vicisti'.], molli militia 406,2. faciem .. miserandam maeremus, os obseratum 234,2; facilis ad lubrica lapsus est 161,3, quod proverbium esse videtur.

Iam ceteros locos si nullo praejudicio captus in textus continuitate leges, paucissima exempla invenies, ubi allitterationrem consulto adhibitam invenies. Neque enim ubicunque duo triave verba subsequentia ab eadem littera incipiunt allitterationis vestigium sanus lector sibi deprehendisse videbitur. Mirum enim esset, si in tam parvo litterarum numero non saepius mero casu falsa allitterationis species nasceretur. Talia sunt: 'magna molestia magnoque labore 59,20. ex somno suscitatus 11,3. summa sollertia 29,16. non modo mater mea 27,11. hodie ab hora nona noctis 68,1. tibi pro tua virtute tolerandum 4,12, semper sine ullo solacio 232,9. hunc ego honorem mihi a te habitum 236,17. praeco pronuntiet palam pro tuo tribunali 26,19. prope perfecte, ut poni in libro Sallustii possit 48,15. lege coloniae Concordiensis captum est 193,5 et plurima similia.

Superant perpauci loci, ubi levem aliquam allitterationis consulto adhibitae umbram invenire possumus[78]: 'item pater tuus imperii Romani molestias atque dificultates ipse perpetitur, te tutum intus in tranquillo sinu suo socium digni-

78) H. Jordan Krit. Beitr. p. 180 Vitruvii, Arnobii, Appuleji simile studium nonnullis exemplis probavit.

tatis gloriae bonorumque omnium participem tutatur, 45,18. Post pastores recens repertis fistulis se atque pecus oblectabant 149,14. vigeo valeo exulto, quo vis, veniam, quo vis, curram 5,16. vim verbi ac venustatem 64,7. veram sensuum facultatem, elocutionis variam virtutem, inventionis aliquam (Ernest. Klussmann Philol. 1868 p. 240 conj. antiquam) novitatem, orationis doctam dispositionem .. miratus est 14,5. Herbarum quoque sucos, quibus corda hominum Somnus sopiret, suis Juppiter manibus temperat' 229,8. minus misere mehercule 69,11. Plura proferre non possum, et ne haec quidem omnia certa sunt.[79])

Tamen utut haec res se habet, quanto discrimine a locis modo collectis segregantur hi, quos, quum etiam propter alias rationes e poetarum thesauris depromptos esse suspicandum sit, supra consulto reticui: Sit salvus sator, salva sint sata, salva seges sit 101,9. qui usquam gentium vim suam praesentem promptamque hominibus praebent 47,13. Ut quaeque mulier magis facie freta est, ita facilius cutem et capillum neglegere 215,19. De quibus infra agendum erit.

Allitterationis Frontonianae nonnulla exempla collegit Adolfus Ebert l. c. p. 45 non apto de ea re judicio usus. Omnia enim pro Frontonis Marcique propriis venditavit.

His fere legibus expositis aliquanto certioribus fundamentis nisi jam ad propositum accedere possumus. Qua in re ita tantum certi aliquid aut, quod non abhorreat a veri similitudine, assequemur, ut numquam singularum sed semper plurium conjunctarum e regulis modo expositis fide nitamur.

Et primum quidem de hexametris agemus.

Ad M. Anton. De orationib. p. 158 v. 4. Fronto postquam Lucanum vituperavit, quod initio carminis sui septem

---

79) Nam 5, 16 uno vocabulo monosyllabo inserto evadit versus:
Vigeó valeo exsultó, quo vis, veniám [jam], quo vis cúrram.
Et verba 149, 14 senarii speciem praebent:
Post pástores recéns repertis fístulis.

primis versibus nihil aliud, quam 'bella plus quam civilia' interpretatus esset, singulosque primos Pharsaliae versus ad comprobandam suam sententiam exscripsit, ita pergit: 'Annaee, quis finis erit? Aut, si nullus finis nec modus est, cur non addis: et similes lituos? Addas licet: et carmina nota tubarum'. Optimo judicio Niebuhrius ed. Berol. p. 136 adn. 3) vidit, haec ultima manifesto esse poetae alicujus versum:

Et similes lituos et carmina nota tubarum.

Princ. hist. p. 209 v. 9 sq. 'Namque talium facinorum causa facti latet, factum spectatur.' In dissertatione priore jam exposui, cur recte Klussmannum l. c. p. 78 hexametri partem agnovisse putem:

Facti causa latet, factum spectatur ⏑ — ⏑.

His addere possum:

Ad Anton. Imp. I, 1 = p. 94 v. 1 sq. Bonum annum, bonam salutem, bonam fortunam peto a dis die mihi sollemni natali tuo, compotemque me voti fore confido: nam quem sponte dei juvisse volunt, et dignum ope sua judicant, eum commendo benignitati eorum. Hexameter videtur latere talis, qui, si recte supplevi, triplici litterae d allitteratione commendatur:

Sponte dei juvisse volunt et dignum ope [ducunt].

Sed, quamvis mihi quidem non credibile sit, concedo, potuisse hunc versum Antonino etiam casu in calamum fluere.

Contra certam visum iri lectoribus spero hanc rem:

Ad M. Anton. De eloqu. III = p. 149 v. 13 post lacunam haec verba leguntur: Vocis modulatae amatores primas audisse feruntur aves vernas luco opaco.]. Uno verbo transposito pulcherrimus hexameter evadit:

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — modulatae
Vocis amatores primas audisse feruntur
[Dulcia] aves vernas [in] opaco [carmina] luco
[Clangentes].

Si quis tamen dubitet de re tam manifesta, his exemplis omnem ei dubitationem me exempturum esse spero. Compara enim: 'primi docuisse feruntur Tibull. II, 1,41. tantos genuisse feruntur. Tib. III, 1,48. nymphae sensisse feruntur Ovid. Met. II, 452. postes tremuisse feruntur ibid IV, 485 primae vulgasse feruntur ib. X, 240. mecum certasse feruntur XIII, 20. veteres coluisse feruntur Ov. fast. II, 271. terras habuisse feruntur ib. II, 289. bustis exisse feruntur ib. II, 551. nymphae pavisse feruntur ib. III, 443 (cf. locum Ovidii Met. II, 452 supra laudatum). cunas violasse feruntur ib. VI, 167. ambae peperisse feruntur ib. VI, 287. his deseruisse feruntur Stat. Theb. VII, 306.[80]) Ex his simillima nostri loci sunt Tib. II, 1,41 primi docuisse f.' et Ov. Met. X, 240 primae vulgasse f.

Haec sunt omnia usque ad Frontonis tempora exempla. Ceteri poetae abstinuere hac formula epica. Quis enim jam dubitabit, quin his exemplis contineatur formula epica in fine hexametri usurpata certoque temporis spatio a Tibullo usque ad Statium a poetis adhibita? Hac igitur fere aetate eum poetam, a quo hunc versiculum Fronto mutuatus est, vixisse statuendum erit.[81]) Ne mireris quod Fronto anti-

---

80) Ovidium fortasse imitatus auctor Consolationis ad Liviam de morte Drusi Neronis v. 405:

Sidera quin etiam coelo fugisse feruntur,
Lucifer et solitas destituisse vias.

81) Re vera si versus antecedens in vocem tetrasyllabam 'modulatae' finiebat, jam uti possumus dissertatione ab Eugenio Plew de tali hexametri exitu scripta Fleckeis. Jahrb. 1866 p. 631—642. Demonstravit enim tetrasyllabi verbi latini in ultima hexametri sede usum apud Augustei aevi posteriorumque temporum poetas epicos omnino his exemplis occurrere: 'Verg. Aen. VI, 11 mentem animumque. IV, 667 femineo ululatu. IV, 215 semiviro comitatu. X, 505 gemitu lacrimisque. Ov. Met. XI, 17 Baccheo ululatu. Val. Fl. IV, 393 Tartareo ululatu'. Primum exemplum Lucretii imitatione natum est, cf. Lucr. I, 74 mente animoque. Jam apparet trium versuum exitum 'ululatu' ὀνοματοποιητικὴν vim habere. Itaque cum duo tantum exempla supersint (de quibus cf. L. Mueller De re metr. p. 220) num verisimile est, nostrum versum ex

quitatis studiosus tam recentis scriptoris versum usurpaverit, etiam Horatii et Vergilii verbis utitur, cf. M. Hertz Renaiss. u. Rococo p. 48.

Ad Anton. Imp. I, 3 = p. 101, 9: Deos quaeso sit salvus sator, salva sint sata, salva seges sit, quae tam similes procreat.]. Facillimo negotio restituitur hexameter e prisca poesi desumptus, qui valde vivida allitteratione commendatur:

Salvu' sator sit, salva sient sata, salva seges sit.

Quod talis verborum ordo 'Salvus sator sit' in margine legitur, hoc nullius momenti esse potest. Ceterum ne mireris in eodem versu copulae formam et solutam et correptam cf. e. g. Ter. Andr. II, 5,13 I núnciam intro, ne ín mora, quom opus sít, sies. Ter. Heaut. IV, 1,7 timeo quid sit. Ch. quid siet? Adelph. III, 2,56. Eun. III, 5,7. Hecyr. IV, 1,52 et 58. V, 1,40. Phorm. V, 4,6. Plaut. Cas. IV, 4,3. Amph. I, 1,5. Mil. II, 2,72 et 5,39. Trin. III, 2,68. Curc. III, 1,2. Men. II, 2,66.

Iam accedimus ad versus jambicos trochaicosque, quos ex antiqua fabula haustos esse, verisimile est.

Et primum quidem nescio an recte Klussmann l. c. p. 78 ex verbis **p. 106 v. 1 (Ad Anton. Imp. II, 2)** 'Atticis propinque thymum serpyllumque hymettium ruminantibus viris', quae cum tota pagina perierit, nunc in margine leguntur, hunc versum formaverit:

Átticis thymúm propinquum sérpyllumque hyméttium.

Ea enim horum verborum sententia est, ut vix intellegere possimus, quomodo ab ipso Frontone scripta esse possint; sed nescio cur Klussmann ultima verba spreverit, quae si cum prioribus conjunguntur, tum demum aptus

---

epico heroicoque poesis genere petitum esse, cum E. Plew demonstraverit, ceteros carminum hexametricorum scriptores minime a tetrasyllabo exitu abhorruisse? Et fortasse — sed moneo 'fortasse' me dicere, de Aemilio Macro cogitare possumus, qui Vergilii aequalis fuit ornithogoniamque scripsit, cf. Teuffel Roem. Lit. gesch. [3] 223, 6 et 7.

evadit sensus. Illas herbas enim si de ciborum condimentis interpretamur — neque video quomodo aliter intellegi possint — non dubitabimus, quin e comoedia antiqua nostrum locum petitum esse arbitremur. Comica vis etiam in verbo 'ruminari' contineri videtur. Itaque ita scribenda sunt verba:

Átticis thymúm propinquum sérpyllumque hyméttium
Rúminantibús viris ⏑ ⏗ ⏑ — ⏑ ⏗ ⏑ —.

Iam idem vir doctus, quod **'Ad Ver. imp. II, 1 = p. 128, 24** in verbis e descriptione exercitus Syriaci desumptis:

'Alea in castris frequens, somnus pernox, aut in vino vigilia' versus partem talem:

sómnus pernox aút in vino vígilia

deprehendisse sibi visus est, multo audacius quam verisimilius egit. Neque enim vocum 'vino' et 'vigilia' admodum infirma allitteratio tanta vi est, ut jam uni poeticae dictioni adscribenda sit (cf. praeterea supra pagin. 36), et si, ubicumque pauca verba subsequentia jambico vel trochaico rythmo reguntur, versus suspicabimur, vereor ne tam ingens versuum copia ex his epistulis exstitura sit, ut nosmet ipsos nostrorum inventorum taedeat.[82])

Nihilo certius est, quod Ribbeck Com. Rom. frgm. [2] p. 117 Inc. inc. fab. v. 27 protulit. Conjecit enim, in verbis **Ad**

---

82) Placet e multis nonnulla exempla proferre, quae e poetis sumpta esse haudquaquam tanta audacia sum, ut mihi persuadeam: p. 162 v. 1 Pólluta et contáminata et vária et máculosa. 195, 8 Ramí fecundi et frúgiferi bacís pomisque onústi. p. 197, 10 Quis ségeti torridáe messem procrástinat? 215, 13 agér neglectus frúctus uberés férret. 220, 3 Hárioli autem laétam et pinguem fórtunam porténdier. 223, 7 novéllae quid cantétur vineáe. 228, 21 néve motus vénti cuncta fúnditus percéllerent. 19, 11 quom Jóve patre audiénte Musae cántant. 79, 6 Perámplam anxíetatem et summam aégritudinem. 94, 20 bóna salus bonus ánnus bona fortúna, res omnís bona. p. 229, 111 De caeli nemore advectae (— — — ⏑ ⏑ — — —). p. 167 v. 25, Cum bene perspectas habeam.

M. Caes. I 8 = p. 24, 20 'vale et me, obsecro, omnimode ames qua joco qua serio' latere versus panum talem:

. . . . omnimóde ames qua joco qua sério.

Sed cum ipse non diffiteatur, ambiguum esse judicium, plura addenda mihi non sunt. Non recte O. Seyffert Philol. XXIX (1870) judicasse videtur, qui verba **Ad M. Anton. De eloqu. III = p. 150, 15**

Cónsiliario huíc magis aetati ópus est, quam aúxiliario

pro genuino versu trochaico septenario accepit. Nam quod simillimus locus est aqud Plautum Truc. II 1, 6 'Magisque ádeo consiliárius hic amícust quam auxiliárius', ea re verisimilius fit, Frontonem h. l. Plauti verbis modo citatis usum esse et mero casu accidisse, ut versus similitudo exsisteret. (cf. Studem. l. c. p. XXXI.) Optime tamen idem vir doctus (Seyffertum dico cf. l. c.) perspexit, latere versum in verbis Frontonis **Ad Ver. I 4 = p. 117 v. 14 sq.**: 'Cum tu tuusque frater in tantis opibus locati . . . . . mihi quoque partem amoris vestri nonnullam impertiatis, quid me facere oportet, cujus spes opesque omnes in vobis sunt solis sitae?' Extremis verbis optimus versus efficitur:

Cújus spes opésque omnes in vóbis (in vobis ómnes?) sunt solís sitae[83]).

Studem. l. c. p. X similes Terentii locos attulit: Phorm. III 1,6 Quójus (ita Calliop., 'cui' Bemb.) nunc miserae spés opesque súnt in te uno omnés sitae' et Adelph. III 2,33 Nostrum ómnium vitam, ín quo nostrae spés opesque omnés sitae. His addo, exitum versus eundem in modum allitterationi subjectum, inveniri apud eundem Terentium Andr. I 5,41

Non fáciam. My. Haud vereár, si ín te sit soló situm[84]).

---

83) Idem ipse ante cognitam Seyfferti sententiam conjeceram. Qua quidem re fiducia mihi et de hoc loco et de tota hujus dissertationis ratione aucta est.

84) cf. omnino de hac dicendi formula: Plaut. Amph. V 1,1 Spes atque opes vitae meae jacent sepultae in pectore. Rud, I 3,21 Nunc quam spem aut opem aut consili quid capessam. IV, 4,101 Huc opesque

Iusto audacius Fr. Buecheler apud Ribbeck. Fr. com.[2] p. 271 ad Novii vers. 10,6 in verbis Caesaris **Ad M. Caes. IV, 6 = p. 69 v. 11 sq.** 'Inde salutato patre meo aqua mulsa sorbenda usque ad gulam et rejectanda fauces fovi potius quam dicerem gargarissavi: nam et ad (est apud Haupt conj.) Novium credo et alibi' — in his verbis non ‚gargarissavi', sed 'fauces fovi' pluraque alia, e. g.

aquá sorbenda faúces fovi usque ád gulam

e Novio sumpta esse putat.

Sed jam pertractatis virorum doctorum conjecturis ipse nonnulla proferam quae non improbabilia visum iri spero.

Ad M. Caes. III, 9 = p. 47 v. 10 sq. 'Scio natali die quojusque pro eo, quojus is dies natalis est, amicos vota suscipere; ego tamen, quia te juxta ac memet ipsum amo, volo hac die, tuo natali, mihi bene precari. Deos igitur omnes, qui usquam gentium vim suam praesentem promptamque hominibus praebent, qui vel somniis vel mysteriis vel medicina vel oraculis usquam juvant atque pollent .... votis advoco]. Triplici duarum consonantium allitteratione in verbis etiam sensu arte cohaerentibus sonoque trochaico fluentibus, quibus rebus accedit poeticus dicendi color, efficitur, latere versum talem:

´ ◡ — ◡ ´ ◡ — ◡ ´ ◡ qui usquam géntium
vím suam praeséntem promptamque hóminibus praebént [piis].

Ad Anton. imp. I, 2 p. 98 v. 11 sq., Fronto Antonini orationem in senatu de Cyzicenis motu terrae graviter afflictis habitam collaudat: 'Ita breviter rem omnem atque ita valide elocutus es, ut paucissimis verbis omnia, quae res posceret, continerentur: ut non ocius aut vehementius terra urbem illam, quam animos audientium tua oratio moverit.

---

spesque vostrum cognoscendum condidi. Capt. II 3, 85 Tibi commendo spes opesque meas. III 3, 2 Nunc spes opes auxiliaque a me segregant spernuntque se. Pseud. I 1, 109 In te nunc omnes spes sunt aetati meae. Ter. Adelph. III 4, 9. In te spes omnis, Hegio, nobis sitast.

Ecquid agnoscis formam sententiae Tullianae? "ut non — moverit." Ut quisque amore quempiam deperit, ejus etiam naevolos saviatur]. Frontoni in scribendo in calamum fluxit conclusio verborum Ciceroniana, quam ubi animadvertit, jam excusat se apud imperatorem: ita enim se Ciceronis admiratione captum esse, ut etiam ejus vitia amaret. Cui non ilico apparet, verba 'ut quisque — saviatur' non posse non e prisca comoedia desumpta esse? Omnia enim et maxime illud 'naevolos saviatur', cujus exempla aliunde petita proferre nequeo, vividum hilarumque comoediae stilum spirant, in qua etiam talis locus communis aptissimus erat. Porro pronominum 'quisque' et 'quempiam' conjunctio verborumque 'amore deperit' usurpatio comoediae maxime usitata est. Itaque nullus dubito, quin tales versus lateant:

⏓́ ⏑ — ⏑ ⏓́ ⏑ – ut quísque amore quémpiam
Déperit [proinde] éjus etiam sáviatur naevolos.

Idem mihi constat de hoc loco: **Laud. Negleg. = p. 215 v. 88.** Postquam neglegentiam laudibus per jocum cumulavit, ita pergit Fronto: [Mallet] de Favorini nostri pigmentis fuci quisnam appingere[mus]? Licet. Ut quaeque mulier magis facie freta est, ita facilius cutem et capillum neglegere, plerisque autem ut sese magnopere exornent, diffidentia formae diligentiae illecebras creari.]. Naberi supplementa dedi, quae tamen latina esse nego. Sed utut rectius supplendum erit, quid sentiat Fronto in promptu est. Declarat enim, se similibus exemplis usurum esse ac Favorinum *ἀδόξων ὑποθέσεων* scriptorem (cf. Gell. N. A. XVII, 12). Ne enim ex ipsius Favorini ludis sequentia sumpta esse opineris, primum non credibile est, Frontonem inter paucos sua ipsius admiratione captum aequalis verba mutuatum esse, cum praesertim disertis verbis testetur p. 211 v. 6 'nullum hujuscemodi scriptum Romana lingua exstare satis nobile.' Praeterea sequentia p. 216 v. 1—5, quae itidem oratione obliqua posita sunt, tam similia sunt eorum, quae Fronto Ad M. Caes. I, 3 = p. 7 v. 16—20 dixit, ut ipsius Frontonis propria esse arguantur; itaque

idem de praecedentibus judicandum est. Sed omnino Favorinum ut cetera, ita etiam hos ludos Graeca lingua scripsisse et Gellium XVII, 12, 4 sq. ejus verba in linguam Latinam vertisse mihi verisimile est (cf. Gell. XII, 1, 24)[85] Iam si Frontonis verba consideramus, nemo non sentiet, quanta allitterationis vis insit in verbis 'ut — neglegere', et quantopere comicum fontem sapiant. Itaque confidentissime hos versus effecerim:

Ut quáeque mulier mági' fretast fació [sua],
ita fácilius cutem ét capillum néglegit.

Eandem sententiam habes apud Plaut. Most. I, 3, 93 sq.

Múlier quae se suámque aetatem spérnit, speculo ei úsus est:
Quíd opust speculo tíbi, quom tute spéculo specimen máximum. e. q. s.

Et sane et noster locus et versus paulo supra enucleati Plauto digni forent.

Minus certa, sed tamen valde verisimilia haec duo exempla videntur:

Ad Anton. Pium III = p. 166 v. 14. Fronto, postquam amicum mortuum, Nigrum Censorium, quod in testamento suo parum verbis temperaverit adversus hominem imperatori familiarem, excusavit, ita pergit: Ego certe deos superos inferosque et fidem arcanam humanae amicitiae testor, me semper auctorem fuisse, cujus e. q. s.] Si ea quae proxime praecedunt, legeris v. 10 sq. . . . 'virum illo ipso tempore quo offendit: sed amando ita offendit, ut pleraque animalia, quibus abest ars et sedulitas educandi, ova atque catulos suos unguibus aut dentibus male contrectant,

---

85) Ita ut sentiam efficitur verbis Frontonis supra citatis p. 211 v. 6 'nullum-nobile'. Nihil de ea re inveni apud Marresium De Favorini vita, studiis, scriptis. diss. inaug. Trajecti ad Rh. MDCCCLIIII, qui tamen recte verba Frontonis p. 215 v. 18 ita interpretatur: 'non opus esse se descriptioni suae appingere pigmenta fuoi secundum methodum Favorini' (cf. Marres p. 52).

nec odio, sed imperitia nutricandi opterunt' — si haec legeris, nonne mecum miraberis orationem subito tam alte elatam v. 14 sq. tamque poetico colore ornatam? Itaque fortasse suspicari possumus, etiam h. l. latere versus:

⏑ ⏑́ deōs superos ínferosque ego ét fidem
arcánam humanae amícitiae testór [mihi].

cf. Plaut. Rud. V, 2,51 testem te testor mihi.

Eisdem rationibus commotus versum etiam ex his enucleaverim: Ad. M. Ant. De eloqu. III = p. 149 v. 18 sq: Ennium deinde et Accium et Lucretium ampliore jam mugitu personantis tamen tolerant. 'At ubi Catonis et Sallustii et Tulli tuba exaudita est, trepidant et pavent et fugam frustra medidantur]. Verba 'tuba—meditantur' tragicam vim spirant et maxime illud 'fugam frustra meditantur', quod etiam allitteratione commendatur, admodum poetice dictum est. Itaque fortasse versus latet, sine dubio e tragoedia desumptus:

⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — ubi
tuba éxauditast trépidant et pavént, fugam
frustra meditantur'.
(vel 'fugam | frustra meditantes).

Jam accessimus ad eam rem, quam totius hujus quaestionis caput cumulumque esse arbitror. In epistula enim **Ad M. Caes. III 13 = p. 51 v. 5** postquam descripsit, quanto gaudio affectus sit cotidianis Caesaris quamvis occupati litteris, ita pergit: 'Quas ego epistulas quom acciperem simile patiebar quod amator patitur, qui delicias suas videat currere ad se per iter asperum et periculosum. Namque is simul advenientem gaudet, simul periculum veretur. Unde displicet mihi fabula histrionibus celebrata, ubi amans amantem puella juvenem nocte lumine accenso stans in turri nantem in mari opperitur. Nam ego potius te caruero, tametsi amore tuo ardeo, potius quam te ad (ted C. F. W. Mueller) hoc noctis natare tantum profundi patiar.[86])

86) Ita recte distinxit Ribbeck praef. trag. frgm. [2] p. LXX.

Ne luna occidat, ne ventus lucernam interemat, ne quid tibi (ita Majus; cod. quid ibi) e frigore impliciscat (ita Mueller; cod. impliciscar), ne fluctus, ne vadus, ne piscis aliqua (Mueller; cod. aliquo) noxsit. Haec oratio amantibus (amanti plus Madvig Advers. crit. II p. 613) decuit, et melior et salubrior fuit, non alieno capitali periculo sectari voluptatis usuram brevem ac paenitendam]. C. F. W. Mueller pro verbis 'te ad hoc noctis' quae propter grammaticae regulas ferri nequeunt, collato Curculionis Plautinae initio[87]) optime meo quidem judicio conjecit 'ted hoc noctis'. Nam cum lenissimis quibusdam mutationibus jambici septenarii evaderent, haec verba inter tragoediae frustra recipienda esse. Neque tamen ipse versus formavit. Oblocutus est Otto Ribbeck in corollario tragicorum Romanorum fragmentorum editioni alteri praemisso p. LXX: expressis enim verbis testari Frontonem, talem in fabula orationem non habitam esse. Et ne Muellerum quidem eas mutationes indicasse, quibus factis iambici septenarii (non illi quidem usitatissimi in tragoedia) evaderent. Qua in re non recto judicio usus esse videtur vir doctus. Sed primum de Muelleri sententia videamus. Verba 'potius quam — noxsit' si consideramus, septenarii quidem aegre ex eis efficiuntur, sed eo facilius senarii jambici: vocula enim 'ne' semel trajecta, semel omissa hos habes versus:

tantúm profundi pátiar. Ne luna óccidat,
ventús lucernam ne ínteremat, ne quíd tibi
e frígore implicíscat, ne fluctús, vadus,
ne píscis aliqua nóxsit — ᴗ — ᴗ —.

Singula verba considera, nonne e forma 'noxsit' cujus exemplum apud Frontonem non invenitur, e verbis 'tantum

---

87) Curc. I, 1,1: Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras sq.? Ceterum Muelleri verba propter rei gravitatem adscribam: Ich habe diese Stelle vergebens in den Tragikerfragmenten gesucht, wohin sie doch wol jedenfalls gehört. Mit ganz geringfügigen Aenderungen ergeben sich jambische Septenare. Haec omnia, nihil amplius.

profundi' et 'ventus lucernam ne interemat' poetica aura legentem afflat? Praeterea nusquam in his epistulis tot verba subsequentia rythmico sono reguntur, neque umquam tam facili negotio quattuor versus optimi, in quibus ne minimum quidem vitium haereat, effici possunt. Hoc casu accidisse credibile est? Porro legamus verba antecedentia, p. 51, 9 'fabula histrionibus celebrata, ubi amans amantem puella juvenem nocte lumine accenso stans in turri natantem in mari opperitur', ubi verborum collocatio admodum mira neque ullo ex epistulis Frontonianis exemplo probata invenitur, quae tamen priscae fabulae haud inusitata est, cf. e. g. Pl. Stich. V 7,4

Prostibulist autem stántem stánti savium
Dare amicam amico.

Vide praeterea figuram etymologicam a priscis poetis tam saepe adhibitam, in verbis 'amans amantem' cf. Lorenz praefat. Trinummi p. 40 sq. et praeterea haec exempla: Plaut. Pers. V 1,23 ut amantem amanti [dare] decet. Pseud. V 1,14 ubi amans complexust amantem Naev. fragm. com (Ribb.^{2}) v. 90 númquam quisquam amíco amanti amíca nimis fiét fidelis'. Quid quod etiam haec verba optime versuum regulis subjiciuntur?

amáns amantem puélla[88]) juvenem nócte lumine [écce]
accénso stans in túrri luctantem[89]) ín mari opperítur.

Iterum quaero: hoc casu accidisse credibile est?
Jam videamus Ribbeckium. Ipse, inquit, Fronto testatur, talem in fabula orationem non habitam esse. Qua in re in animo habuit sine dubio haec verba: 'haec oratio amantibus decuit et melior et salubrior fuit, non alieno capitali periculo sectari voluptatis usuram brevem ac poenitendam'. Sed num re vera ita se res habet? Ponamus, in scena trac-

88) De hac mensura cf. Ritschl Prolegg. Trin. p. CLXIV et Plaut. Poen. V 5,22. Titin. v. 108 (Ribbeck^2) Casin. prol. v. 48 et 79.

89) cod 'natantem'; possumus etiam sic scribere:
accénso stans in túrri nantem pér mare opperítur

tatam fuisse aliquam fabulam de Herone et Leandro. Hanc Frontoni propter eam causam, quam ipse commemoravit, displicuisse. Quomodo aptius ei suam ipsius sententiam opponere potuit, quam si verba ex ipsius fabulae initio, ubi virgo amatoris precibus primum resistebat, mutuabatur itaque illam fabulam suis ipsius, ut dicimus, armis vincebat? Jam recte intellegemus verba: 'haec oratio amantibus decuit' c. q. s. Declarat enim, initio rectam viam ingressam esse virginem: sed postea amore victam ab ea aberrasse. Itaque 'decuit' h. l. non idem valet, quod: 'dicenda fuit', sed: 'decenter dicta est'. Ceterum absurdum esset, si subito suis verbis Fronto discipulum ita adloqueretur, quasi is Leander et ipse Hero esset; quod facillime fieri potuit, si non suis verbis utebatur, sed fabulam nobilem et Caesari procul dubio bene notam laudabat. Ea enim omnino natura verborum laudatorum est, ut, quod de personis et rebus longe aliis dictum sit, nulla offensione ad rem personamque praesentem transferatur.

Jam habemus fabulam de Herone et Leandro, quam tragoediam et quidem priscam tragoediam Accii fere temporibus adscribendam, fuisse fragmentorum et toto colore et metricis regulis evincitur.[90])

Alterum fragmentum, ut jam supra ostendimus, sine dubio e prima fabulae parte petitum est, ubi Hero Leandri impetui primum resistebat. Eadem scena est apud Musaeum v. 112—220 quem quo jure conferamus, infra apparebit. Itaque Heronis verba jam hunc in modum suppleri poterunt[91]):

---

90). Non verisimile est hanc fabulam totam Frontonis temporibus Romae actam fuisse. (cf. Friedlaender Roem. Litt. gesch. II³ p. 427 et 606 sq.) Sed aut de tragoediae partibus (cf. Friedlaender l. c. p. 429 sq.) aut de pantomimo cujus verba ex antiqua tragoedia desumpta erant (Friedl. l. c. p. 431 sq.) cogitandum erit.

91) Sed fortasse illud insolenter repetitum 'potius' in verbis 'Nam ego potius te caruero, potius quam ted hoc noctis . . . natare

[Non] téd hoc noctis [ádulescens] natáre [ego]
tantúm profundi pátiar. Ne luna[92]) óccidat,
ventús lucernam ne íntertimat, ne quíd tibi
e frígore[93]) implicíscat, ne fluctús, vadus,
ne píscis[94]) aliqua nóxsit.

Scena, ut apud Musaeum, in Veneris templo fuisse videtur. Alterum fragmentum

Amáns amantem puélla juvenem nócte lumine [ecce]
accénso stans in túrri luctantem ín mari opperitur

fortasse ab Herus nutrice, quam Musaeus v. 188 et Pseudo-ov. Heroid. XVIII v. 19, 26, 41, 45, 153 commemorant, dictum fuit. Sed possunt etiam Herus verba tragico more de se ipsa tertia persona loquentis esse.

Si latinam tragoediam de Heronis et Leandri tristissima sorte scriptam fuisse nobis constat, certum est, fuisse etiam Graecam tragoediam[95]), latinae exemplar. Et jandudum viri docti, inter quos maximo cum honore Ervinus Rohde[96])

---

patiar' e. q. s. indicio est, jam ab altero illo 'potius' incipere Heronis verba. Tum ita supplendum erit:

potiús quam ted hoc nóctis [nunc] natare [ego] e. q. s.

92) Lunae natanti viam monstrantis commemorationem, quae abest a Musaeo, habes apud Pseudo-ovidium epp. XVII 77:

unda repercussae radiabat imagine lunae Et nitor in tacita nocte diurnus erat. cf. et v. 59 sq. sq.

93) Pseudo-ov. l. c. v. 89

frigora ne possim gelidi sentire profundi,
qui calet in cupido pectore praestat amor.

94) Ibid v. 131 Jam nostros curvi norunt delphines amores
ignotum nec me piscibus esse reor.

Abjudicat tamen hos versus epistulae auctori Lehrs Fleckeis. Jahrb. LXXXVII p. 54.

95) Non abhorrere a tragicis legibus nostris temporibus Grillparzeri fabula 'Des Meeres und der Liebe Wellen' ostendit.

96) Monumentis ab Heinricho praef. Musaei p. XLVI et Rohdio l. c. p. 135 adn. 3) collectis addi potest lapis incisus ab Heidemanno Bull. dell'inst. 1868 p. 158, Nr. 23 in hunc modum descriptus: 'Car-

in aureo illo libro 'Der griechische Roman und seine Vorläufer p. 133 sq. sq. nominandus est, cum aliis argumentis, quae h. l. enumerare longum est, tum ea re nisi, quod nonnulli Pseudo-ovidii her. XVII et XVIII et Musaei loci mirum in modum consentiunt, utriusque poemata e communi fonte fluxisse intellexerunt.[97]) Quem aetatis quam dicimus hellenisticae poetam fuisse Rohde l. c. p. 136 conjecit. His enim potissimum temporibus tales fabulas cum certis locis conexas, in quibus amoris vis celebraretur, e popularium mythorum thesauris a poetis depromptas esse.[98]) Sed hujus studii initium jam apud recentiores poetas tragicos atque etiam apud Sophoclem Euripidemque inveniri ipse vir doctus exposuit, cf. e. g. l. c. p. 37 et e. g. p. 29 de Sophoclis Phaedra, quam fabulam e mythis Troezeniis haustam esse verisimile est. Itaque Frontonis verbis nisus tragoediam Graecam Euripidis temporibus vel paulo post[99]) scriptam et Musaei et Pseudo-ovidii communem fontem fuisse arbitror.

Nam etiamsi Rohdio p. 127 adn. 1) et p. 129 adn. concedendum est, non certe constare, num Ovidius[100]) e tra-

---

niola di lavoro fino colla rappresentanza di Ero e Leandro. Questa vedesi su d'una torre aspettando con desiderio Leandro che s'avvicina nuotando nelle onde dell' Ellesponto; un Erote che vola sopra di lui schiarandogli con una fiaccola l'umida strada, ci avverte che questa volta Leandro arrivera sano, malgrado due venti le cui teste miransi soffiando fortemente.'

97) Primus vidit Heinrich in praefatione Musaei p. XXI.

98) cf. eandem sententiam a Diltheyo praef. Mus. p. XIII ad v. 215 breviter indicatam.

99) cf. Otto Ribeck D. Roem. Tragoedie p. 118: Da Aristarch (v. Tegea) keiner der hervorragendsten oder vorzugsweise gelesenen unter den älteren Tragikern war, so giebt diese Bearbeitung durch Ennius (in seiner Tragoedie Achilles) einen bedeutsamen Wink, dass wir die Originale der roemischen Tragoedien keineswegs etwa ausschliesslich innerhalb des tragischen Kanon zu suchen haben.

100) Recte E. Rohde p. 130 adn.: zwischen Ovid selbt und den mannigfachen in diesen Briefen thätigen jüngeren und geringeren Geistern brauchen wir hier nicht genau zu unterscheiden.

